

## Epistole stravaganti e altri componimenti

[Page 289]

n. 1

Utinam in magnis a nobis gratiam sentiretis, quam in  
minimis ex innata vobis benevolentia memoratis. Bonarum  
quippe mentium est, non quid fiat, sed quo animo  
fiat attendere, et obsequentium debitum gratiam reputare.  
O quantum debet vobis Ecclesia! O quantum vobis civitas  
Capuana tenetur, quia non a civitate vel provincia laudem,  
sed civitati et provinciae laudis titulum acquisistis; ut  
jam non Petrus a Capua, sed a Petro Capua latius agnoscatur!  
Felix radix quae fructiferum protulit palmitem,  
felix vinea quae vinum praecipuum germinavit! Grates  
ergo vobis referimus quod a nobis requiritis gratiam, et  
quod mandastis implevimus gratiose ; rogantes ut Ecclesiae,  
matris vestrae, non sitis immemores, cujus vos in  
sacramentis ecclesiasticis ubera lactaverunt.

n. 2.

Satis paeclaros alumnos longe lateque per orbem  
naturae praegnantis peperit uterus, et plurimorum pectoribus [Page 290]

partem suae foecunditatis infudit; sed praeter communem  
opinonem omnium, in singulari subjecto congerens  
quicquid contulerat universis, magistrum Petrum  
de Vinea cunctis peperit clariorem. Nec sine merito sic  
ipsum sua liberalitate dotavit, cum virtutum congeriem  
personarum varietas saepe confunderet, sententiarum erraret  
autoritas, et jura prompta solvere, buccis lacerata  
domesticis, ordinarium judicem non haberet. Multum  
etenim ut requiem quaereret, sapientiae felicis ingenium  
in gyro coeli et abyssi profundo circumquaque vagaverat;  
sed in hoc demum sua fixit tentoria, in hoc sui motus  
circuitum limitavit: cum quo factum cor unum et anima  
una, in eo ferrum de terra transtulit, et lapidem calore  
resolvit, ut quicquid esset terrena grossities in doctrinae  
substantiam verteretur; per cuius namque virtutis instinctum  
justicia mortificata resurgeret et eclipsati juris  
qualitas suae discretionis industria supplementa sentiret;  
qui velut novus legifer Moyses de monte Synai, legum  
copiam concessam sibi coelitus hominibus reportavit; ut  
quorum noxius appetitus per lustra devia oberrarat, ad  
industriae fabricam, qua imposita quaelibet diriguntur,  
ejus luce praevia dirigatur. Hic est siquidem alter Joseph,  
cui tanquam fideli interpreti, ejus studio magnus ubique  
Caesar (de cuius potentia sol et luna mirantur) circularis  
orbis regna gubernanda commisit: qui tanquam Imperii  
claviger claudit, et nemo aperit, aperit, et nemo claudit:  
cujus eloquentiae tuba dulcisonans, orationis voce mellifluae  
audientium corda demulcet, utpote cui quicquid  
erat sub pallio solis absconditum, praeter clausi libri  
septem signacula, divinus intuitus revelavit. Ipse etenim  
Petrus fundatur in petra, ut caeteros fidei stabilitate fundaret  
et synceritatis soliditate firmatus, foret aliis fundamentum.  
Relictis quidem retibus, princeps apostolorum,  
Petrus ille piscator minimus, secutus est Deum; sed Petrus [Page 291]

hic legifer a sui domini latere non discedit. Curam gregis  
dominici pastor ille curabat antiquus; sed iste novus  
athleta juxta latus summi principis virtutes inserens et  
errores extirpans, in statera justiciae ponderat quicquid  
dicit. Galilaeus ille tertio Dominum sua voce negavit; sed  
absit quod semel abneget Capuanus. O felix vinea, quae  
felicem Capuam tam suavis fructus ubertate reficiens,  
Terram Laboris irradians, remotos orbis terminos instantia  
tuae foecunditatis irradiare non cessas; a cuius

stipite palmites non discrepant! Ex te namque tanquam  
a bono fixus initio judex prodiit Guillelmus, quem commendabiliter  
ejus effectus laudabilem exhibet, eo quod  
habuit tam nobilissimum creatorem, ut quem ornavit  
qualitas habitus, ipsum in amictu decoris adornaret. Nam  
legis armatus peritia, Digesta digerit, et Codicis scrupulositates  
elimat, dum in quadrigis sedens Imperii, superemergentes  
quoslibet casus et causas in libra judicii  
quotiens apponderat et appendit, totiens eos dirimit et  
decidit, quasi veritas sub nube non lateat; qua videntibus  
non celata, angelum se fore sanctum lucidius repraesentat.  
Haec fuit itaque vinea, quam philosophiae manus  
multo sudore plantavit et coluit, ipsam suae irriguitatis  
amoenitate faecundans: in qua tabernaculum eruditio  
erexit, ut ex eo mentes indoctae doctrinae reciperent  
spiritum, et ex ejus fructu mellifluo libarent sitientes.  
Haec est vinea, cujus radices grandis aquila in terra  
negociationis de Libano asportatas secus discursus aquarum,  
cum diligenti prudentia transplantavit; ad cuius  
virtutes eximias explicandas etiam lingua Tullii laboraret  
Ne forsan balbutiens in prosequendo deficeret et sic displicendo  
placeret, telae finis imponitur quam stupendo  
contexuit Nicolaus.[Page 292]

n. 3

Suae piissimae genitrici M., Petrus notarius devotissimus  
filius filiorum, subjectionis constantiam cum salute.  
Recurrens ad conscientiam recognosco quod non meis  
meritis divina clementia me pauperem sublimavit et de  
molli luto coelestis figulus me formavit, cum imperialis  
curiae locum idoneum mihi contulit et gratiam principis  
in conspectu. Respexit enim Deus hanc humilitatem matris  
meae ancillae suae et sororis meae pauperculae vi tam  
ducentis hactenus aerumnosam, quarum per me suum  
famulum depellere voluit egestatem. Accensa sunt igitur,  
cara mater, vestra salubria monita coram oculis meae  
mentis, et sic me geram humiliter donec vivam ut in  
cunctis bonis operibus Deo valeam et cunctis bonis hominibus  
complacere.

n. 4

Expectantes expectavimus diu... amici et proximi  
nostri, tardeque nobis comparuit veniens dies illa quae  
gratam afferret cum celebritate laeticiam, ut de vestrorum[Page 293]

jocunditate successum sitientis animo votiva refunderet  
libamina gaudiorum. Expectavimus utique et expectantes  
taedio acriter urebamur intrinsecus, fixis jam suspiriis  
inhiantes ut duritia cordis in qua temporis longitudine  
servivistis, aetatis amodo maturitate mollesceret et de  
temporalibus gaudiis quae longa nimis et antiqua praescriptio  
nostris hucusque subtraxit affectibus, por vos  
antequam moreremur nostra deberent desideria revocari.  
Et ecce nunc in diebus istis novissimis, cum vos nec parentum  
nec patriae solitus revocaret affectus, quae natura  
ipsa non potuit, humana pertinacia denegavit. Factum  
est mirifice Salvatoris arbitrio qui de remotis mundi partibus,  
velut a ventre ceti vos ad patriae limina reduxit incolumes,  
votisque propiciatus orantium cum apud vos  
amici vostri favore censerentur indigni, sustinere non  
voluit ut nostris ultra possetis aspectibus elongari, jamque,  
sicut Domino placuit, licet personae vestrae contiguis  
non potiamur amplectibus nec ad plenum illico nostro  
suffragetur optatui, e vicino tamen salutare vestrum  
agnoscimus, nostrisque naribus instillantem odoris vestri  
fragrantiam praesentimus. Non est autem quod fortunae  
nostrae debeamus ascribere vel nostris possimus meritis  
imputare si virum praedestinatum ad gloriam, quem tellus  
aliena in humili prius conditione susceptum et velut  
alumpnum propriis stipendiis educatum, natali solo remittere  
voluit pro sua gloria gloriosum, is ad quem  
spectat tocius orbis generalis provisio, suis duxit consiliis  
aggregandum. Recte namque videtur a coelesti majestate  
provisum ut scientia vestra tot occultata temporibus,  
tantis laboribus acquisita, dignis non esset caritura  
profectibus, sed locum sortiretur in culmine ubi lucerna

luminis radios expansura. Potuit etiam justus et misericors  
Dominus in istius dispositionis examen proximorum  
vestrorum piam habere memoriam, et quos jam longo  
tempore vidi extitisse famelicos, pastu salutifero de sua  
duxit munificentia recreandos. Nunc vero licet adventus  
vestri praeludia fama divulgante sensimus factique sumus  
quantumlibet de vestra laetitia laetabundi, tamen velut  
juxta puteum aquarum sitis incendia patientes, haurire  
non possumus, et quodam venturae solempnitatis indicio  
natalis vestri vigilias celebrantes, festivales delicias non  
gustamus. Tamen est quod spe alimur et fiducia confortamur,  
sperantes jugiter et confidentes in Domino quod  
ipse qui bonum paravit initium, gratum in antea pro sua  
clementia largietur eventum; et sicut vigiliarum praecedentia  
signa libavimus, sic favente Altissimo de vestrae  
promotionis augmento votivae jocunditatis tripudia sentiemus.  
Habemus etiam contra vos, impetrata venia,  
justam satis et rationabilem conquerendi materiam, quia  
cum vos ad partes istas clemens prout dictum est fortuna  
reducerit, vos fastu quodam contentionis vel arrogantiae  
dignitati estis adventus vestri nobis communicare  
materiam, nec certitudinem aliquam de vobis obtinere  
meruimus, nisi quod rumor publicus attulit et generalis  
opinio confirmavit. Sic itaque cum exultantium coetibus  
gaudere possumus, sed praerogativam inter extraneos vel  
specialem exultandi materiam non habemus. Quinimo  
cum frequenter vidimus accidere quod cibus ori porrectus  
frequenter a labiis contactus elabitur, donec oculorum  
capiamus acumine quod datum est in mente, et  
sicut odoratu reficiemur, satiemur et gustu, sub Tantali  
dubietate languescimus et contrarietas accidentia formidamus.  
Dicetis autem, nostris forte volentes objectionibus  
subinferre: «Vos parentes et proximi qui taliter  
adversus me objurgando consurgitis, culpantes innocentiam [Page 295]

meam vestramque negligentiam palliantes, cum  
eum quem velut abjectum et contemptibilem a primaevi  
in longis regionibus oberrantem, bonorum vestrorum et  
totius paternae facultatis expertem requirere neglexistis,  
nunc tam audacter et impudenter verbis mordacibus increpati,  
cum de mea crudelitate querimini nec ad me  
venire curatis vostro desiderio polituri.» In promptu est  
responsio, magister optime, quae vestram repellit instanciam  
ut circumspectio vestra injuriam nobis imputare non  
debeat nec offensam. Nos enim qui velut ad sagittam in  
confinio positi, ventorum omnium impulsione concutimur,  
sic a serpentum morsibus exterrii sumus quod  
et lacertarum tactus effugimus, nec audaces esse possumus  
quia de personis et rebus nostris libertatis arbitrium  
non habemus. Cum igitur propter edictum Cesaris  
super hoc generaliter promulgatum, cum papa criminis  
suspicionem quam leviter possemus incurrire, regni fines  
non audemus sine speciali licentia pertransire. Cesset  
itaque inter nos dispendiosa contentio, et vos si placet  
quibus haec impedimenta non obviant, curetis amodo ad  
tollendum rancorem de cordibus, vestri status et continentiae  
vestrae certitudinem communiter et sigillatim vestris  
amatoribus intimare; illud attentius provisuri ut inter  
alios amicos et proximos vestros amicus ille qui vobis  
loquitur, qui nunquam est vestrae societatis oblitus, a  
memoria vostra non excidat, sed tam in visitationis officio  
quam in omni exhibitione honoris et gratiae [si] fide  
dignum ducitis, vice sibi congrua rependatis. Sic enim  
facietis gaudiorum vestrorum in senectute participem  
sicut eum habuistis in aetate tenera, si bene recolis, circa  
studiorum primitias vestris profectibus efficacem. Ego  
quidem amicus ille qui vobis cum audacia loqui possum, [Page 296]

magis forsan quam credere valeatis faciem vestram Deo  
teste videre desidero, optans ut diem aliquam in otio cum  
jocunditate trahentes longum insimul habere possimus  
colloquium, de futurorum serie, de mundana varietate,  
de miseria patriae et generali excidio gentis nostrae ab ipsis

rerum primordiis et doloris initii tractatum nostrum  
habiliter ordituri. Ne tamen possetis ex mea locutione  
conjicere ut quasi decrepitus vel remissus dona petam  
vel muneribus egeam, arbitrantes forsitan quod me tremula  
senectus invasit vel quod rerum facultas aut possibilis  
virium in me sit taliter enervata ut censeri debeam  
amodo amicus inutilis, scitote quod licet in diebus nostris  
processerim et aemula corrueute canitie cursum peregisse  
videar in aspectu, perfecte tamen me habeo ad omnia  
contingentia, quia nunquam in exercitatione requievi,  
nunquam a bonitate vacavi nec propter laborem vigor  
animi tepuit nec propter senium primaeva facundia retrocessit.  
In freto quippe contra ventorum turbinem saepissime  
navigavit ingenium, et sic transivi tempestates et  
tempora quod divino comitante remigio nunquam me  
fortuna deseruit; immo ut multi succubere fortissimi,  
mea Deo gratias parvipotentia non defecit. Ut verum  
loquar, inter angustias et aerumpnas elapsi temporis quas  
in multa tribulatione transivimus, quasi per ignem et  
aquam incolumis evasisse conspicior, tam per infinita  
pericula filiorum quam fratrum discrimina velut inter  
Caribdim et Scillam e mediis fluctibus prodigialiter sic  
ereptus, quod licet dampna rerum et gravamina multa  
pertulimus, videor utrumque cum morientibus vivere et  
inter lugentium agmina nimium mihi sentio praesidium  
non deesse. Possum quoque de Dei munificentia gloriari  
quod gratum paravit meae senectuti remedium. Habeo[Page 297]

namque familiam de filiabus et filiis, et jam filiorum  
filios videre inibi in quibus delectatur spiritus meus  
super omnes divitias quas habere possemus; et in eis  
fiducialiter requiesco, quibus existentibus etsi viam perennem  
ingrediar, totaliter non peribo; maxime cum  
unus sit mihi specialis et primogenitus filius in litteratura  
et bonitate proiectus, potens in legibus, quem Cesar  
in prothojudicatus officio substituit, qui re pariter et nomine  
inter convicinos et compatriotas laudabiliter eminet  
et tam in regimine ac sustentatione familiae quam in amicorum  
et dominorum obsequiis vires meas sufficienter  
implere poterit et congrue sustinere. In hiis igitur et in  
aliis temporalibus bonis a coelesti mihi provisione collatis  
satis habeo in Dei nomine materiam gloriandi, et quia  
vix cura domestica vel familiari sollicitudine detinente  
ad divitiarum cumulos vel honoris fastigium inhiare nequiverim,  
felicem tamen et divitem ex hoc fuisse me  
reputo quia modice vivendo rerum sufficientia et oportunitate  
non carui, mendicare non didici, patriam non relinqui  
(sic), id ipsum quod in summa felicitatis adscripti,  
quia modico volui esse contentus et satis visura est quod  
habui; ita quod usque ad hos fines temporum favente  
Domino in honore vixi et egentibus proximis de mea  
felicitate subveni. Nec fuit in me vacua gratia Dei quum,  
licet de profunditate scientiae jactare me valeam [et] me  
de gloria bonitatis efferre, inter providentes tamen et  
probos ubique per Dei gratiam locum habui nec a bonorum  
discretione aut perfectorum nedum sum dejectus, immo  
talisi fui in oculis hominum quod non tantum parentes  
et proximi, sed vicini omnes et extranei consilium et  
auxilium meum in suis senserunt necessitatibus fructuosum.  
Adhuc etiam si oportunum foret vel casus quilibet[Page 298]

inopinatus emerget, in domibus nobilium et magnatum  
locus mihi per diversoria non decesset; unde quia  
militavi minutius et in labore jam senui, curiales dignitates  
non appeto et vanitatis gloriam non affecto. Unum  
tamen dico vobis nec adulterium reputetis quod si vos  
divina gratia in honore collocaverit quem speramus,  
bonorum nostrorum participes esse confiderem et vestra  
honestas, ut extimo, ne quidquam faceret suae jocunditatis  
expertem. Ego enim quem ante praecessi non erubescerem  
in magisterio sequi et quem habui aliquando  
favorabilem socium, benivolum crederem habere patronum.  
Mallem quidem sub levi tugurio vobiscum mediocriter  
vivere quam in aulis principum pompis et  
magnalibus habitare, et quid plura? Ne taediosus adulator

appaream, nolo vos amplius verborum fatigare  
dispendiis; in Domino cogitatum meum relinqu; ipse  
scit quid futurum est, eum hucusque ducem propitium  
habuisse cognosco et ejus virtute paterna suo in antea  
remigio navigabo. Ipse vos comitet et dirigit actus  
vestros gratumque paebeat in vestra felicitate profectum  
ut mihi et vestris omnibus bonitas vestra proficiat, et  
domus vestrae nobilitas quam vestra sine dubio depresso  
absentia, in statu pristino quo memorandis praedecessorum  
nostrorum temporibus floruisse recolitur, vestro  
patrocinio revirescat. In fine peto ut non sit vobis grave  
haec nostra praescripta perlegere nec fastidiosa sit ista  
prolixitas, quia de bona fide et habundanti materia noscitis  
emanasse. Valete.[Page 299]

n. 5  
Juris civilis professoribus universis magister Petrus,  
salutem et attendere ultimum ante primum. Amaritudo  
amarissima et materia concreta doloribus humanis  
noviter mentibus occurrerunt. Nam unicus et singularis in  
terris homo, in quo velut in suo proprio leges convenerant,  
et vivebat eloquentiae tuba, et consilii plenitudo  
sedebat, est revocatus ad patriam, de cuius revocationis  
amaritudine vox populi a fine usque in finem et terminos  
orbis terrae dolorosa multum exivit. Nec mirum, quia  
jam optimus persuasor bonorum operum, omnium excellentissimus  
Jacobus de Reggio Jesu Christo vitalem  
spiritum resignavit. Attrita est nimium derepente gloria  
vultus ejus, de cuius occasu non solum Lombardia sole  
privata suo, verum etiam maxima pars viventium continuis  
lachrymis ingemiscit, et doloris gladius multorum  
animos perforavit. Nec immerito, cum ipse dominus  
legiter et supremus descriptis juris apicibus sensus reformaret  
informes, et adhuc viventes viventia ejus opera  
non desinunt informare. Qui licet ut homo desierit, non  
tamen desiit ut magister, quia mortuus ipse docet,  
quantumcumque sit appellatio mortis difficultis, violenta,  
et necessaria: difficultis, quia non est ibi solutio; violenta,  
quia resistantia nulla; necessaria, quia ex modo necessitatis  
omnem superat syllogismum, exceptiones non  
recipit, dilationes alias non admittit. Verum quia mirabilis  
est ista regula mortalium, quae nunquam fallitur,[Page 300]

sed omnes fallit, fatidica videlicet veridica, quae  
in credentia non habetur. Ipsa quidem est laetitiae nebula,  
tristitiae genetrix, diffusio lachrymarum, universae carnis  
exterminium, et singularium destructiva. Ideoque,  
viri prudentes, in doctore morto prudenter addiscite  
quicquid possit, et quantum fortior exterminantis angeli;  
et diligenter attendite quod legum facundia vel  
aliquarum scientiarum doctrina mortis imperio non  
resist.

n. 6  
Vagientibus adhuc in cunis artis grammaticae natis  
discipulis et majoribus professionis cuiuslibet in amoena  
Bononia docentibus, Terrisius solo nomine dictus magister,  
homo qui sequitur veritatem, vitam bonam et  
exitum meliorem. Quia materia ita se habet, quod ab  
amaritudine sumit exordium, nec dolorosa possunt sine  
animi turbatione narrari, non miremini si anxietate  
quadam et singultuosa narratione vobis scholaribus,  
qui inhabitatis orbem a mari usque ad mare, praecipue  
filiis, quos in dolore peperit mater grammatica, dura[Page 301]

nimis et amara valde moventia corpus et animam praesentibus  
nunciamus. Est enim, quod non sine doloris  
aculeo dicimus, grammaticae artis noviter extincta lucerna,  
desiccatus est fons irriguus, frugifer Euphrates,  
magister Bene, qui non ab infimo positivi, sed superlativi  
nomine meruit derivari, videlicet cum supra se  
nullum habuerit ascendentem, imo sicut aquila transcendens  
omnia genera pennatorum, vir potens in opere  
et sermone, avis in terris rara, sine pluralitatis consortio  
dici potuit singularis. Ad cuius transitum, quasi  
sole petente occasum, tenebrae factae sunt super universam

faciem terrae. Nam ipse solus de tenebrosis et confusis  
Prisciani tractatibus educens lucem, purgavit tenebras,  
ipsumque veterem et antiquum reformavit  
apostamat, Donatistas compescuit, et quasi de culmine  
montis Synai, alter Moyses legifer a Deo et non ab homine  
sibi scriptam grammaticam hominibus reportavit; in  
quo sublato tanto et tali artifice non solum prima, id est  
grammatica, sed sorores artes caeterae patiuntur. Unde  
quid facient parietes cum corruerit fundamentum? Quid  
infelix grammatica, orba parente suo? de quo completum  
est illud verbum propheticum: Vox in Rhama, hoc  
est in excelsis, est audita, ploratus et ululatus multus  
Rachel plorat maritum suum, et non est qui consoletur  
eam, ex omnibus charis suis. Nam quis similis sibi?  
Utinam suscitaret Dominus spiritum suum ad minus per  
aliquam phitonissam ut loqueretur nobis ad tempus, et  
revelaret nobis mysteria magister magistrorum ille doctissimus,  
qui ducebat animalia in stuporem. Verum quia  
omnes morimur, et sicut aquae currentes quae non revertuntur  
dilabimur, testante philosopho, crudelitatem  
fati aequalitas consoletur. Moerore jam deposito, vos qui[Page 302]

talem et tantum dilexistis autorem, ad hujus exequias  
concurratis, orantes pro illo doctore mirabili, qui a  
mane usque ad vesperas clamavit sicut pullus hirundinis,  
et ut columba meditatus est ponensque animam suam  
pro scholaribus, docendo desiit et docuit desinendo.

Cogunt flere bene laceros vos jure Camenae  
Pro doctore Bene docuit qui dogmata plene,  
Doctor doctorum, lux prævia grammaticorum,  
Norma latinorum, vir consors philosophorum;  
Cui dedit illa mori quae nulli parcit honori,  
Corruptela boni, tanti censura patroni,  
Sillaba mortalis mors , impia sincopa talis  
Qua vires partes hominum solvuntur et artes.

n. 7

Petro de Vinea Accursus. Non vivit in orbe terrarum  
qui honorem vestrum magis me sitiat et serviendi voluntatem  
habeat promptiorem, et hoc malo quod veridica venientium  
de curia relatio afferat ac operum affirmet effectus, quam benivolentie nostre referat continua  
series litterarum. Unde vester sum totus et de me confidenter et secure jubere potestis, et facere quicquid placet.[Page 303]

n. 8

Excellentissimo domino suo domino H. illustri regi  
Angliae P. de Vinea. Apulus vester a vobis in fidelem  
regis per regiae munificentiae gratiam adoptatus adoptari  
in municipem Angliae supplicat per eandem, ut non solum  
devotus fidelis regis et domini, sed et regni filius  
habeatur et civis. Super quo cum dominus meus, verus  
et efficax amicus vester, ideo affectuosissimas preces  
excellentiae vestrae dirigat, sicut puto, satis potest industria  
vestra colligere quod, rejectis adulacionibus frivolis aliquorum,  
fides mea perfectissime claruit apud  
eum.

n. 9

Domino magistro justitario P. de Vinea. Sperata pluvia  
quam in adventu magistri H., magna et multa tonitrua  
promittebant, in rorem tenuem est conversa, et  
licet aliquando navem nostram usque ad visionem portus[Page 304]

spei vela secunda deducerent, dum tamen credebamus  
terram promissionis attingere, contrariorum ventorum  
impulsus mox in altitudinem pelagi valde celerius reducebant.  
Et idcirco expedit ut in apparatu succensus morantium  
apud Tyrum, vestra et aliorum sociorum vestrorum  
industria non lentescat. De negotio Lombardiae  
illud in eventu tandem invenimus quod divinatio mea et  
magistri Petri de Sancto Germano longe priusquam veniret  
magister [H.] ad curiam, praesagivit. Magister pedem  
habet in motu quem discipulus in uxoris querelam et  
taedium prosequetur.

n. 10

Fateor, pater, quod juste redarguer, sed injuste condemnor;  
eatenus verumtamen justiciae nota porrigitur,  
quatenus efficacia justae petitionis extenditur quam subsequentis

objectio defensionis elidit. Sed et tolerandus est filius si peccavit, et paternae decet condemnationis mole non obrui, quam, licet appellationis lima prompte non lateret, suppurationis tamen remedio reverenter evitat. Etenim quod in taciturnitate filialis obsequii expergefacta memoria paternae dilectionis obstupuit, quam in oblivionem unius pauperis filii sed devoti, oblectamenta nobilium et sublimium amicorum delinimenta seduxerant, stuporem patrem natura cogente non arguo, si somnolentus a filio voluit per frequentis vocis instantiam excitari. Crudelis tamen et impia conditio sequeretur, si [Page 305]

severi patris judicium filius sentiat, quem justa timoris allegatio protegit, et ignorantia paternae voluntatis excusat. Quiet tam natura, non homine terminum imponente, evigilatus est pater, filium pavidum et tacitum invenit, ac lacte paternae dulcedinis prae somni longitudine sitientem confortat, pavidum famelicum educat, sed tacentem accusat et paterna pietas reverentiam arguit filiale. Confortatus filius loquitur, timoris exceptione se protegit redargutus, sed tamen a patre non respuit nutrimentum. Sufficitne vobis istud, o pater, quod causam vestram ego ipse qui notor, pietate justifico; quod me timoris ac reverentiae solum exceptione defendo; quod condemnationis paternae sententiam filiali suppuratione devito. Dicet forte pater: Non sufficit; sed mentem exiget a filio meliorem, ut forte culpam fore confiteatur ubi culpa non subest. Quid faciam? cedam patri, culpam confitebor et dicam: «Peccavi, pater, in coelum et coram te.» Sed ut scelus omne proscribam, negligenter me habui, luxuriose tamen non vixi: sacra paternae reverentiae nullo meretricio pollui, quanquam obsequium filiale praestare devotius, prout pater existimat, debuisse. Vestra, pater, est vinea, et si dignemini non velle contrarium vestra dicetur; ad vineae vestrae palmites seu radices nulla corruptionis mixtura pervenit: nullum saporem alteravit insitio: nulla colorem alteritas variavit. Talem vindemiam habetis ex vinea, qualem plantationis materiam contulisti. Causamini, pater, quod vinea vestra botros in debita quantitate non afferat, quod arefacta sit vinea; respondeo: Et vos cur manum subducitis cultui, et fontis irrigui copiam denegatis? Causamini privignum in filio, demeritum in alumno; respondeo: Et vos cur lactis dulcedinem alumno subtrahitis, et cur in filium ita crudeliter novercatis? Excusationibus vestris et incusationibus meis manum vestram somnolentam et debilem a scriptura abducitis propter morbum. Utinam, chare pater, [Page 306]

nec mihi fuisset hactenus somnolenta, nec aliis expedita; sed ut vidi frequenter et providi, dormitavit haec filio, sed aliis evigilavit. Super his omnibus, pace data, petiistis quod nullo praetextu excusationis proposito, prosperum statum meum (si tamen castra sequentem sequeretur prosperitas) et principalia principis nunciarem. Durum et impossibile petitur, quod me vestra redargutio sic prostratum, sic jacentem invenerit, sic relinquat, ut ad increpanda patris eloquia non resurgam. Pacem propterea nobis dare possumus invicem; sed nullatenus ego mihi et cordi meo, quin doleat, et oculis quod non fleant, dum subreptum mihi patris animum video et caussam ignoro. Vinea mea quid fecit vobis? vel vestra potius, quod irrigationem ejus ad aliam, quae demum vobis lambruscas afferet, trantulisti? Denique quantumcunque dolentis ingenio dolor et doloris materia subtrahat voluntatem, imperio tamen patris obediam, et epistolae, quae postquam totam Germaniam circuivit, tandem ad me novissimno mense Augusto fatigata pervenit, respondeo quod corpore valeo: labore tamen continuo labore dum inter Charybdim et Scyllam, inter Cardinalium scilicet et Lombardorum astutias, navicula filii tumidis fluctibus fatigatur. Cesarea gesta magnifica vos epistola principis frequenter edocuit, cuius chartam scribentis filii manus nudam et vacuam aliquando tetigit, et ingenium virginem defloravit.

n. 11

Mirae probitatis et magnae industriae viro P. de Vinea, etc. Nullius rei eventus adeo mentem laedit quam qui

post exhibitionem operum ad irritum spem dedit. Ego quidem quia super omnia concupivi grata vobis servicia exhibere quibus possem vestram favorabilem gratiam obtinere, vobis feliciter apud Faventiam commorantibus, sponte et ab aliquo de vestra familia non rogatus vestram vineam introivi, in qua diu laborando usque ad vestrum felicem redditum diei et aestus pondus sustinui, et patris familias divinum denarium non accepi. Verumtamen si multa a vestra memoria elabuntur, aliquatenus non admiror quem multis arduis esse convenit vos intentos. Inter alia tamen quae humeris vestris incumbunt, memores existatis ut remuneratione aliqua respicere me velitis!

n. 12

Cadat super Faveniam fulgur et perflet eam spiritus procellarum, cuius pestilens mora coegit patrem curiae, virum circumspectum et antiquis patribus dignum, ad nostrorum institutionem temporum praeservatum, a nostri praesentia et consolatione consortii removeri. Pereat illius civitatis memoria et in eam ros vel pluvia non descendat in qua fons noster irriguus status et salutis habitae detimenta concepit. Rarus ipsam inhabitet incola, quin potius relegatio publica filiarum eam lugeat desolatam in qua [Page 308]

republicae pater coepit langoris incentiva sentire quae ad remotiora loca remediis indigent balneorum. Vadat ergo pater a finibus istis; vicina, quae so, provincia Marca salutem admoverat, et procuret sibi commoda in illis partibus expectata salutis, quibus

Nullus in urbe magis radiis perlucet amoenis.

Nonne videtis, bone pater, ranas suis turgere paludibus quae suam videntur hominibus ingerire corruptelam? Ex ipsa quoque terra vaporem corruptionis consuevit emergere, que corpora delicata corrumptit cuiuslibet sexus et aetatis, nocivam confiniis pestem afferens et diversa aegritudinis incommoda moraturis. Colligitur ergo per evidentes conjecturas ab imcolis quantum caveri valeat ab exteris et timeri conversatio religionis, qualiter intendere debeat ad recessum cuius praesentia continuatis proprii corporis incommoditatibus elabrrat. Nec reor inutile fore consilium hominem locis pestilentibus insuetum ad salubria loca se transferre, ubi sperata voti incolumitas cum opportunitate loci et cum clementioris aeris beneficio naturae proveniat et paterno statui congaudat expectatio filiorum. Confortetur igitur ex mutatione loci viri robusti complexio et patrias oras hilariter adeatis in quibus vos lac educavit infantiae Minervae cultus edocuit et promovit adultum; ibi sub aequalitate poli, temporis vernante temperie, infirmitas quae incumbit in omni suo genere cursum inveniat, sicut expedit patienti; propter quod nos, vobis prius salubriter restitutis, laetificabitis filios qui etsi passo compatimur, revera cum paciente langores nostros ex aequo non indigne portamus, praestolantes in brevi summo desiderio refici vestrae resumptae rumoribus sanitatis. [Page 309]

n. 13

Praeteriti laboris angustias, quas patientibus nobis hactenus invida Roma suaserat, cum varie voluntates Imperio semper varientur, et actus Viterbiensis nequitia suggestente periculum et laborem de alpibus Lombardiae, de novo gustavimus; quibus, divina clementia quae fessis dat requiem, licet ipsas per regni refrigerium crederemus reprimere, superatis, ad curiam prosper redditus nos reduxit incolumes, ubi de vestris renovari successibus expectamus. [Page 310]

n. 14

Aperi labia mea, Deus, et tenebras loquentis illustra ut sit effliax sermo meus et ad audiendum aures demulceat auditorum. Sparge rorem tuae gratiae supplicant; infunde vocibus unctionem ut qui in cursu praesentis vitae atteritur de tua gubernatione laetetur. Intret in conspectu vicarii tui sancti, ista quae offertur oratio et te desuper inspirante, in oratione hujusmodi miserationis

plenitudinem prosequatur. Prolixa doloris mei pagina  
nova tangat corda fidelium, et qui patientis fletu non  
flectitur, ad compatiendum supernae pietatis affectibus  
excitetur. Eram dudum fama dives et abundabam in  
prosperis; eram prae principibus in patria singularis,  
cumque mihi in statu fragili nil deesset et fortunae fallacis  
eventus me ad fortia roboret, direxi oculos fallaces ad  
grandia et impetu coepi petere potiora. Sic quod, cum  
cor appetendo calesceret et ad dignitatum regimen ambitiosus  
animus aspiraret, mox fortuna ad casum asperitatis  
accendit, mox ad certamen attrahit, mox ad  
tentationes innumeritas excitat, ut vel temptationum jaculis  
illum torquendo confoderet vel eum sibi per improvisa  
certamina subjugaret, quae laqueum tetendit ut aspiranti  
sperata subtrahat et idem ad habita de caetero non recurrat.  
De parvis tandem vocatus ad grandia, de infimis ad  
excelsa promotus, illic inveni poculum amaritudinis  
ubi sumere speraveram somnum pacis et ibi ferculum  
felle mixtum ubi recipere decreveram incrementa virtutum.  
Propter quod dies facti sunt mihi obnoxii, menses  
vacui et horae instabiles status mei. Oderunt me mei[Page 311]

iniquo odio et statuerunt insidias in obscuro; illi paraverunt  
pedibus meis laqueos qui comedebant mecum  
hactenus panes meos; illi obtulerunt mortis in calice  
poculum quos dudum praefeceram sine prece; subtraxerunt  
mihi conjuncti gratiam et abstulerunt subditi illam  
modicam quam obtainueram praelaturam. Defeci in cursu  
currentium, et comparatus sum cineri et redactae sunt  
cervices in lutum. Inopinatis casibus conteror et dies  
mei transeunt quasi cursor. Abbreviatus est dierum  
meorum terminus et tempora mea praetereunt quasi fumus.  
Multiplicata sunt vulnera et decreverunt vitae meae  
tempora velut aqua. Virtus mea quasi nebula deletur;  
spes non subsistit, mutor facie, dolore torqueor et ad  
praeterita quasi navis transiens non revertor. Vita paulatim  
deficit, et residuum erucae sub brevi locusta consumit.  
Adhuc in auribus meis terroris est sonitus, adhuc  
attoniti sunt oculi cordis mei, adhuc dolor loquentem  
afficit et illum plaga pestilens non relinquit; adhuc maledicentes  
circundant me lanceis et transfigunt viscera  
jaculis pungitivis; adhuc addunt vulnera super vulnus  
ut fiat in amaritudine luctus meus. Concepit enim dolorem  
quasi parturiens, sed est semper coram oculis  
meis plaga recens. Confractus sum quasi vas figuli, et  
adhuc non cessat laqueus inimici. Ex fletu vultus intumuit  
et spiritus tristis angustiantis ossa siccavit. Per  
singulas noctes infestat me lectulus meus; turbant somnos  
curae, sunt infestae vigiliae horis singulis vitae meae,  
esus horribilis, potus tristis, ludus exasperans, visus  
gravans, incessus pestilens, status laedens. Nube visus  
obducitur, et auditus prae doloribus impeditur, tactus  
fremit, et odoratus non discernenda discernit. Mens  
pungitur, caro dissolvitur, animus cruciatur, et cor meum  
non caret onere cuncta desiderans in dolore. Educunt  
plerique sagittas de pharetra, verbera super oleum molientes;[Page 312]

addunt verba ironica dicentes: «Hic littus inaniter  
bobus arat, dum locum in paradiso ecclesiae sic  
expectat.» Sedentes in insidiis perturbant itinera gradientis,  
detrahentes mihi nocte non dormiunt et in occulto latibulo  
ad occasum languentis se abscondunt.  
Excitant in oculis meis pulverem, et super vestes proprias  
mittunt sortem. Expectat mens noxia quod cadat humerus  
de iunctura, sperans quod ramus ab arbore praecidatur.  
Cernunt quod transeunt dies mei et quod non sit  
qui sanet vulnera conturbati. Lux patientis extinguitur,  
meis doloris accendit et afflictionis asperitas augmentatur,  
tanquam non sit qui opem conferat et qui jacenti  
dexteram suae miserationis impendat. Cogitationes variae  
succedunt in me eo quod non est qui eripiat a languore.  
Sinit languidum medicus et non sanat unctionibus vulnus  
ejus; mens in diversa rapitur et etiam propria non  
sanatur virtute. Cor iugiter fatigatur, virtus indeficiens  
non redditur tremulo et non est qui misereatur et conferat

alimenta. Non inveni in sylvis siliquas: invadit  
inedia costas meas. Non inveni in mari pisces nec in fontibus  
aqua dulces. Non inveni in portu pacem nec etiam  
tutam in tranquillo littore stationem. In pratis herbam  
non reperi, umbram in vallis non inveni, non farinam  
in cistariis et oleum in lecythis. Perdidi virtutes  
solitas et siti perii secus aquas; amisi cordis dulcedinem  
et defeci frigore iuxta ignem. Intuentur me obliquo oculo  
seniores et derident me continue iuniores, et corrodit  
reliquias alienas in turbine qui consuevit propriis abundare.  
Et sic qui speraveram vitasse tenebras, adhuc  
tenebrosas video vias meas. Per hoc itaque malecredentes  
quod oriantur spinae pro ordeo et tribuli pro frumento,  
fel pro balsamo et vappa contemptibilis pro  
clareto, expectant quod lugeat ille qui premitur et quod  
ei esca desiderabilis denegetur. Expectant quod in speratas [Page 313]

cadat insidias et pro ipso in domo domini non sit  
panis; expectant quod pro illo qui est consumptus angustia,  
in dominica vinea non sit uva; expectant quod  
deficiat mentis oculus et pro eo in domo domini non sit  
cibus. Expectant quod adhuc claudicare debeat in suis  
semitis qui vinctus est funibus paupertatis. Expectant  
quod a casibus non eripiat pauperem qui justo judicio  
judicat totum orbem. Expectant quod cadentem non  
erigat, eo quod illum asperitas doloris inclinat. Recogitent  
qui mala cogitant quando pullis corvorum negavit  
escam qui in altis habitat et firmat fundamento stabili  
totam terram; quando servis suis rorem negavit gratiae  
qui servat ostiis suis mare; quando negavit pauperi elemosynam  
qui respicit terram et tremere facit eam;  
quando non fluit in sitientem fons fontium et in egente  
non eget qui tenet in sublimibus principatum. Revolvent  
secum qui talia in cordibus meditantur quando Petrus  
petra Ecclesiae et janitor coeli illos repulit quos vocavit et  
eos deseruit quos assumpsit, quando petentes gratiam a  
Christo ab ipso passi sunt in petendo repulsam, quando  
perdidierunt mercedem laboris et operis petentes subsidia  
pietatis, quando ejus vicarius, pater orbis, inhumanus  
exitit creaturis, quando in mundi hujus statu  
instabili non est secutus vestigia Dei sui, quando non  
peperit quod concepit, quando quod incepit non fine  
desiderato conclusit. Quis post Petrum sic petra fortitudinis  
exitit? Quis sic pro fidei Christianae defensione  
pugnavit? Quis sic sancti institutor est ordinis, quis sic  
sectam diligit novae prolis? quis sic educat providos?  
quis sic exaltat egenos? quis sic curam erit pauperum?  
quis sic placet per opera pia regi regum? quis sic in  
omnibus viis suis opera pietatis exercet? qui me reddit  
inopem et molestiam corporis efficit sufferentem? Consurgat  
ergo pater, quasi fulgor meridianus ad vesperam [Page 314]

et sacro sanet medicamine plagam meam, miserationis  
suae expandat radium ut respirem cum reputaverim me  
consumptum, et quo magis status est ambiguus, eo alterius  
patris fiat provisione securus. A patre factum (sic)  
vocatus est filius et in ipsa vocatione consumpsit tam  
propria quam stabilia et mobilia fratris sui. Pius sermo  
de patris pectore procedat et in me hora vespertina clarescat.  
Alii senescunt tempore, ego autem senui non  
diuturnitate temporis, sed dolore. Tollat mortis amaritudinem  
clemens pater et umbram producat in lucem.  
Non est incurabilis dolor meus ut eum sanare non valeat  
pia manus. Lactabitur si ille subsidia misertus porrigat  
cui plaga pestilens nunc occurrit. Recedet umbra cum  
subito prorumpet aurora. Respirabit servulus cui miserebitur  
ejus dominus, nec privetur sanctae pietatis subsidio  
adhuc positus in obscuro, nec relinquatur in tenebris  
subditus custodiens vias ejus. Quousque conferat  
pulsanti gratiam, ab ejus sacris pedibus non divertam.  
Roboretur brachio fortitudinis qui factus est viribus imbeciliis;  
qui pudore grandi deprimitur, non absque paterno  
munere moriatur. Quis est qui cogit amnes ne  
defluant et fontes uberes ne decurrant? quis est qui tegit  
solem ne splendeat et patrem ne filio rorem suaे benedictionis

n. 15

Magistro Petro de Atino scriptori nostro, canonico Atinatensi,  
rectori ecclesiae sancii Marciani de Atino Soranae  
diocesis. Cum sicut nobis significare curasti, bona memoriae  
L. episcopus Aquinas ecclesiam sancti Marciani de  
Atino tibi auctoritate felicis recordationis G. papae praedecessoris  
nostri duxerit conferendam, in contradictores  
vel rebelles excommunicationis sententiam proferendo  
tuque in ipsius possessione diu fueris pacifica et quieta,  
nos tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab  
eodem episcopo factum est ratum et gratum habentes,  
dictam ecclesiam tibi auctoritate apostolica confirmamus  
et per scripta praesentia committimus, non obstante quod  
canonici de Atino post collationem hujus quemdam ex ipsis  
de ipsa ecclesia investisse ac eam cum J. judicis Petri de  
Vinea nepote, qui pro eorum se gerebat praeposito, auctoritate  
propria communi mensae postmodum temere deputasse  
et id juramento firmasse dicuntur; quae et quicquid  
aliud de ipsa ecclesia vel bonis ejus in tuum gravamen et  
praejudicium fuerint praesumpta, nullius decernimus existere  
firmitatis. Nullus igitur, etc., nostre confirmationis et  
constitutionis, etc. Datum Lugduni, idus octobris, anno VI.  
Dati sunt ei super hoc conservatores abbas Casemarii  
et prior sancti Dominici Verulani et Sorani diocesis «ut  
ipsum non permittant contra confirmationis et constitutionis  
nostrae tenorem ab aliquibus molestari. Quod si non  
ambo, etc. Datum ut supra».[Page 316]

n. 16

Episcopo Terracinensi. - Dilectus filius magister Petrus  
de Atino scriptor noster in nostra proposuit praesentia  
constitutus quod dudum ad... abbatem sancti Constantii  
de Aquino ejusque collegam a nobis litteras impetravit  
per quas mandabamus eisdem ut ipsi magistro vel procuratori  
suo ejus nomine capellam sancti Germani de Sora  
ad collationem abbatis Casinensis ut dicitur pertinentem,  
amoto ab ipsa J. clero, nepote judicis P. de Vinea, qui  
eam cum aliis personalibus, ecclesiis et beneficiis detinere  
dicebatur contra canonicas sanctiones, auctoritate nostra  
conferrent ac ipsum in possessionem ipsius ecclesiae inducerent  
corporalem, contradictores, etc... Verum cum  
de predicta capella scriptum sit pro alio sicut fertur, ac  
etiam per eumdem Casinensem abbatem adeo sit in possessionibus  
diminuta quod super ea nullum aut modicum  
speret commodum reportare, ut nostra gratia effectu non  
careat sibi petit suppliciter provideri; mandamus quatinus  
eidem magistro Petro ecclesiam sancti Petri ad cellas Teanensis  
diocesis vel aliquid aliud de beneficiis J. praefati  
quae habuit in provincia Terra Laboris cum cura vel sine  
cura, quod idem magister duxerit acceptandum, auctoritate  
nostra conferas et assignes, ipsumque vel procuratorem  
ejus, amoto ab eo dicto J. vel alio quolibet detentore,  
etc., etc. Dat. Lugduni, kalendis aprilis, anno VI.[Page 317]

n. 17

Innocentius, etc... magistro et fratribus hospitalis de  
Altopassu Lucanae diocesis. Ex tenore vestrae petitionis  
acepimus quod quondam magister Petrus de Vinea, cui  
tunc temporis tanquam praepotenti officiali quondam F.  
imperatoris non poterat sine gravi jactura resisti, aspirans  
ad ecclesiam et domum vestram sitas prope civitatem  
Capuae ac pauperum et infirmorum usibus deputatas, illas  
sibi a vobis concedi frequenter cum instantia postulavit;  
et tandem illas cum aliquibus pertinentiis earumdem  
accipiens, quoddam hospitale predictae diocesis cum pertinentiis  
suis spectans ad... Lucanum episcopum pro supradictis  
ecclesia et domo nomine permutationis vobis et  
hospitali vestro concessit, praefato episcopo hospitale ipsum  
ad jus suum sicut antea fuerat processu temporis revocante,  
..... eo tunc praecipue in illis residente partibus  
qui non solum erat terror humilium, sed sublimium  
personarum, nec etiam obstante si bona ejusdem P aut

ecclesia et domus supradictae per nominatum F. aut officiales  
seu fautores ejus occupata extiterunt...  
Datum Perusii, III kalendas decembris, anno VIII.[Page 318]

n. 18

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio  
magistro Andree de Episcopo civi Capuano salutem et  
apostolicam benedictionem. Pura fides quam ad nos et  
apostolicam sedem habere dignosceris, nostrum instanter  
sollicitat animum, etc. Hinc est quod cum Conradus  
natus quondam Frederici olim Romanorum imperatoris  
tibi destitutionem domorum et aliarum possessionum  
tuarum intulisse dignoscitur, pro eo quod ipsi ecclesiae  
mente stabili adhaesisti, etc., unam de startis de Belasois  
quarum alteram magistro Petro de sancto Herasmo civi  
Capuano duximus conferendam, nec non et demos cum  
viridario, arbustis et terris aliis eisdem annexis prope  
ecclesiam sancti Francisci, quae fuerunt quondam Petri de  
Vinea, etc.

n. 19

Eodem modo scribitur venerabili patri Ottoboni sancti  
Adriani diacono cardinali hoc adjecto: «Cum nepotes[Page 319]

vestri filiis nostris linea consanguinitatis sint conjuncti,  
confirmationem verae donationis felicis recordationis Innocentii  
Papae super bonis quae fuerunt quondam Petri  
de Vinea, in forma quam dilectus vester et noster magister  
Rostandus nobis exposuit, vobis per latorem praesentium  
destinamus.»

n. 20

Viris elegantissimis, magni Cesaris domesticis, sensu  
et moribus praedotatis, dominis magistris P. de Vinea et  
T. de Suessa, magister T. animi devotionem. In scolis  
nostris jocoso quodam incidente litigio, de nobilitate generis  
et animi probitate facta est contentio quae illarum  
videretur esse major; et hinc inde satis probabiliter  
disputatum. [Sequitur epistola longa, argumentis ad  
morem temporis refecta; et ita concluditur:] Demum si  
nobilitas est quaedam laus ex meritis parentum proveniens  
et solae virtutes merentur, merita ex virtutibus acquiruntur,  
ex qua re est in virtutibus nobilitas. Et si per  
medium a probitate tannini comparantur (virtutes), habeo  
igitur probatum probitatem modis omnibus esse nobilitati  
generis preeferendam.[Page 320]

n. 21

Rationalibus apulis Riccardus de Montenegro.  
Monitricis induita vocabulum et sollicitantis repraesentativa  
misterium vestra nuper ad nos amicabilis venit epistola.  
Quae licet dupli conquestione nos pungeret et nostram  
in duabus redargueret tarditatem, eam tamen amore  
mittentium quo decuit honore recepimus, et ne committere  
videamur quod dampnare deberemus in alios, libenter  
audivimus quae duorum inculcata monitio persuasit.  
Sed si veritatis indago respicitur et scribentis  
pensatur intentio, informis querimoniae forma videbitur  
et in neutro dampnabitur accusatus; cum si vestra dilectio  
nos de dilata satisfactione redarguit, pro nobis instantium  
negotiorum et temporis qualitas evidenter alleget  
quae bursam nostram habitudine proprietatis excutiens,  
nedum hactenus satisfacere de debitis non permisit, sed  
et novis astringi nos mutuis de necessitate coegit. Si  
vero nepotem de contumacia praeter inducias sibi datas  
impeditis, ipsum et juvenilis motus, tardus provisor utilium,  
et dominica frequenter sibi commissa servitia condecent  
excusare. Licet igitur quamplura suffragia confoveant  
causam nostram, suffragiis verumtamen cedimus  
accidentalibus, renuntiamus auxiliis, liti concludimus et  
vestram in omnibus, ut vobis, magister Petre, ex veteri[Page 321]

contracta notitia loquamur audactius, qui utique quicquid  
sumus offerimus, placare proponimus voluntatem.  
Dilectionis itaque vestrae modestia sic nobiscum se gerat  
civiliter, sic nostrae possibilitatis moderetur habenas, sic  
facultatis limites metiatur ut in debitore conservet amicum,

et cum quietari non posset ad praesens nisi aliena  
subjectione solutio, in amico si placet non aggravet  
debitorem.

n. 22

Vobis, non alii, pie Cesar cedit ad gloriam et honorem  
quod me totiens redditis per vestras literas gloriosum:  
quasi dignus sim quod de gloria vestra glorificer, et de  
prosperis successibus vestris exultem. Evidem nihil  
mihi sic optabile posset afferi, sicut incolumis status,  
felix processus, et insignis triumphus ejus a quo sum, et  
sine cuius iudicio nihil sum, sub cuius umbra vivo,  
magnificor et honoror. Hec, inquam, dum mihi contingunt,  
nihil ex me mihi remanet, quod me beneplacitis  
vestris non obliget et mandatis exponat; et novit Altissimus,  
quod in his vivere, sub iis senescere cupio, et  
dummodo placeat, mori concupisco. Ad hec, clementissime  
principum, ne celem in me quod stimulat, data  
venia, timens loquor quod in literis vestris quidam me  
favor terruit, videlicet ubi dicitis: «Hortando mandamus»[Page 322]

quatenus circa servitia nostra, et maxime rationum  
nostrarum te geras more solito sollicitum et attentum,  
quia licet tibi super iis socios adiunxerimus, serenitas  
nostra tamen tibi tantummodo noscit inhaerere.»

Fateor, domine, quod ex verbis istis favor grandis resultat,  
nisi contrarium innuant, quod pigrum scilicet arguant  
vel feriant negligentem. Ad quod si est delator,  
agreditur vox libera innocentem, et si homo vel angelus  
est, qui sibi super his placuit, etiamsi nomen habuit,  
tamen anhelitum perdidit inter filios veritatis. Et certus  
sum quod quantumcunque sit de latere, qui contra me  
lasciviat, si votis meis Altissimus faveat ut pedibus  
vestris assistam, iniquitas adversus me oppilabit os suum.  
Det autem Dominus et cito vaniloquiis istis finem, ut visus  
eorum vos doceat et relatus moram abbreviet, patrem ad  
filium, benefactorem et dominum ad fidelem reducat.

n. 23

Super eo deberemus in te acutioris stilum reprehensionis invertere  
quod suspicaris nos favere detractionibus  
illusoris. Sane non modicum nobis displicuit quod nostrae  
clementiae litterae de tua suscepserint suspicione repudium,[Page 323]

et quod ad incongruum retractae fuerint intellectum; sed  
patienter pro Domino omnia ferimus, in vaginam extractum  
gladium reducentes, quia non licet amplius legis  
reparare severae judicia ubi nobis ad misericordiae viscera  
levis successit disciplina.

n. 24

A. pater Petro de Vineis filio. Inter vos et me, filii, licet  
induxeritis otia calamis ut triumphalibus auspiciis sub  
divo Cesare vacaretis, adtamen, si non fallor, ad ea scripta  
restringitur quae vel in tractatum exiliunt, vel effluunt in  
commentum. Sic itaque nil vetitum agitur, si mutuis affectibus  
alter ab altero nostrum aliquando salutetur, saltem ad  
hoc ut confortetur pater de prospero statu filii, et certificetur  
filius de valididine patris. Aliquot namque diebus  
morbum quo crucior, ad id coegit discrassia, quod jam  
vivis posthabitatis inter mortuos tabescet, donec sub  
quodam susurro levis aura perflare, gloriosam illam victoram  
redolens, quae tropheis rivalibus subget rebelles.

Super hiis autem quae prima fama celebris profudit organa  
veritatis, redditus sum liber ex mortuis; fremitus  
in me quievit languoris, et melioris status jugiter convalescit  
successus...

n. 25

A. patri Petrus de Vineis filius (responsiva). Si familiarem  
filii manum, pater, habere desideratis ad literas,  
philosophari desinite, deponite Tullium, et rhetoricae  
modulos relegate. Scio tamen quod impossibile flagito,  
quod sublimitas montium tacta non fumiget, nec petita[Page 324]

cordibus cithara digitis organizet; verum potest simplicioris  
scriptoris officio redimi peregrina simplicitas quam  
vobis innata subtilitas non admittit. Dum ergo profunditatem  
putei vestri metior, et haurire desidero, funiculus

deficit, et sic ad marginem putei sitiens hydria necessario  
revocatur. Frequenter apposui manum ad calatum ut  
patri rescriberem, sed dum ejus scripta considero, de  
rescribendo despero. Haec est occupatio vera, quae scribentis  
ingenium hactenus et non dexteram occupavit. Inter  
tot namque vicissitudines negotiorum et temporum,  
saltē horae modicae scripturae subiecta laudabilis non  
defuisset habilitas, si mentis egenae debilitas non fuisset;  
nec ad tam sublime patris examen inflatam aut rudem  
mitti decebat epistolam, quam justo postmodum  
concepto iudicio contempi per consequens filius crederet.  
Certe nec protinusset hujusmodi literam destinare, quae  
dum tanti lectoris indignam inspectione se redderet, in  
sui solummodo visa principio abjicienda potius quam legenda  
despectivis oculis censeretur. Nec tamen ex hujus  
presentis epistolae pater obstupescat audacia, quae vestes  
non deferens nuptiales et rhetoricae nuda coloribus auditorii  
vestri ostium propulsat impudens. Praemisit enim  
hanc simplicem sequentium literarum futura simplicitas  
ut temporis a vobis edicti veniam et acuti remissionem  
examinis impetraret, cui si securus conceditur aditus, strata  
frequentior aliis subsequetur. Inquietare praeterea nimis  
frequentibus et familiaribus literis quietem patris et domini  
filius verebatur, priusquam oblata securitas familiaritatis  
audaciam tradidisset. Stans (?) igitur securus et  
simplex, nullam incurrire metuens ex securitate superbiam  
vel ex simplicitate contemptum, patris jussionibus  
hilaris et libenter obediam, ut in conspectu serenissimi  
principis de ipso serenam, cum licet et expedite, faciam  
mentionem; quod hactenus etiam, novit Altissimus, faciebam [Page 325]

injussus, fidei vestrae constantia suggestente materiam,  
et circa vos benivolentia Cesaris audaciam ministrante.

n. 26

Expectabam filiali zelo de domo paterna recipere nova  
salutis et gaudii, quibus recrearetur animus castrenibus  
negociis occupatus; ineratque mihi sollicitudo continua  
aliquem de compatriotis meis videre nuncium bonum  
venientem de regione longinqua, qui vitam parentum  
doceret filium, de salute coniugis et natarum patris laetificaret  
affectum. Meam verumtamen expectationem moestus  
patris funeris rumor adveniens vehementius conturbavit,  
expectata sustulit gaudia, meque totum dedit  
fletibus et lamentis. Dolebam namque per quem existentiam  
sumpsi patrem, meis votis ademptum, sed justi  
causa doloris mea viscera retorquebat, quia tibi creditrix  
natura maturatos dies suos breviare disposuit, patri non  
assisterem in ultimis laboranti, ut migratrum patrem  
filiali aspectu reficerem et qui paternae senectutis baculus  
fueram, paternum extremae munus benedictionis accipiens, [Page 326]

pias patris obeuentis manus supra caput meum  
flebili devotione tenerem, ac deinde paterno feretro matri  
praevius exsequiis patris filius obsequiosus adessem.  
Cumque non fuerit hoc permisum, ut matris fletibus  
una cum coniuge et filiis sociaret, auditis tamen cursus  
paterni rumoribus, effusis lachrymis et corde turbato  
defuncti animam orationibus piis amplectens, in eleemosinarum  
erogatione Domino commendavi, vacans interim  
lachrymis et moeroribus, donec per dominos et  
amicos meos piis monitis revocatus, in vita ac salute  
vestra potissime respirarem, dum mihi fuit recta moderatione  
propositum quod secundum ordinem et beneficium  
naturae, pater utroque superstite filio, visisque filiis  
filiorum, exigente maturitate temporis, in manibus vestris,  
coniuge meisque filiis pro me patre praesentibus, in  
quibus meam poterat imaginari praesentiam, diem clausit  
extremum, bonum post se famae testimonium relinquens,  
et secum gerens individuos comites, bonorum  
testes operum quae patravit, ab infirmitate continua quam  
passus fuerat transmigrando. Verum, quia me decet una  
vobiscum suaem animae reminisci, et consolationem ad  
invicem in Domino reportare, vestram maternitatem et  
sororiam dilectionem deprecor et exhortor, quatenus tu,  
mater, una cum filiis, tuisque nepotibus, quorum omnium

vitam apud Dominum tuis procura orationibus et  
salutem, in Domino consoleris; ut nos quoque, frater et  
soror, qui tua post patris obitum benedictione fovemur,  
moerore deposito, qui nullam defuncto videtur utilitatem  
afferre, et nobis superstibus salutis posset impedimenta  
praestare ac anxietatem renovare continuam, alterna  
recreatione consolationis ornamenta sumamus; ut hinc  
inde mutuis literis aura confortationis aspiret, et in domo  
nostra omnium dolore ac luctu remotis, optata vigeant  
communis auspicia sospitatis.[Page 327]

n. 27

Socero et socrui suis domino L. et dominae A. P. de  
Vinea, etc. Cum pervenerunt ad audientiam meam nova  
de obitu N. dilecti filii vestri, cognati mei, tactus dolore  
cordis intrinsecus dolui et condolui valde vobis; utpote  
qui bonum de ipso fratrem amisi, et lumen oculorum  
vestrorum a luminibus vestris anxior in eo fuisse sublatum.  
Flevi quoque p[ro]ae dolore nimio; oculi mei faciem  
lachrymis maduerunt, quod uxori et filiabus meis tam  
dilectum collateralem decessisse cognovi, qui absentiam  
meam una vobiscum commorans supplere poterat, ad  
consortis meae solatium et natarum. Continuatis ergo in  
ejus memoria diebus pluribus fletibus et dolore, vidi quod  
frustra dolebam et quod redimere non poteram mortuum  
effusione continua lachrymarum, meditatus potius  
ipse mecum, quod cum sortis humanae debitum solverit,  
licet fatali casu et mutato ordine parentum vota turbaverit,  
et dies nequiverit protrahere longiores, sui  
memoriam, quam sors amara peremit communibus dimisit  
intercessoribus adiuvandam; ut cujus vila nos carere  
contigit, pro eo teneamur ut vivat potius orare quam[Page 328]

flere. Venit enim vobis et mihi quem filium fere assumitis,  
filii vestri quem sortis affinitas mihi charum fecit,  
mors ipsa potissimum deploranda, quod se dulcibus annis  
immiscuit, et iuventutis florem morsu diro praescidit.  
Quia vero dispositioni divinae obviari non potest, et animam  
ejus debemus et possumus eleemosynis potius quam  
lachrymis adjuvare, cum nec nos deceat in dolore modum  
excedere praetaxatum, ne nomen Domini qui dedit  
et abstulit exasperari contingat, supervacuis intabescendo  
doloribus; quanquam non possim paternum et  
maternum in discessu tam dilecti filii revocare dolorem,  
quem vestrae sperabatis dimittere superstitem sepulturae;  
audeo tamen filiali vobis devotione sugerere quatenus  
vobis, mihi et uxori ac filiabus meis quae vestrae  
sunt, paterno consulentes affeectu, quantum propter sortis  
humanae debitum et labilem conditionem mortalium,  
moerorem vestrum moderari potestis, vestrae ac nostra  
velitis providere saluti; cum in superstibus filia et neptibus  
vestris, me quoque, qui vitam et consolationem  
vestram plus filio, si dicere liceat, diligo et affecto, possitis  
plenarie consolationem accipere pro defuncto; quem  
si modo quolibet redimere valeremus, non parceremus  
laboribus aliquatenus vel personis. Sed ubi a nobis irrevocabiliter  
est ademptus, et orationum nostrarum auxilia  
praestolatur, in superstibus consolatione recepta, suspiria  
et fletus vestros ad orationum subsidia convertatis;  
illud inter humana desideria solatium habituri quod pro  
honesto sui gestu et continentia, per quam se omnibus  
praestit diligendum, bonam sui recordationem post  
fata dimisit.[Page 329]

n. 28

Prudenti viro magistro P. de Vinea, Blanca uxor quondam  
... cum recommendatione, etc. Tetigit me Domini  
manus, et apprehendit me indignatio irae sua, ut quae  
fueram viri solatio destituta, praematura mors filii viduam  
iterum viduaret. Ideoque dupli contritione contrita,  
singulare quaero in vobis dolori meo remedium,  
discretioni vestrae me fiducialiter recommendans. Ad  
haec sciatis quod Nicolaus futurus gener vester per Dei  
gratiam restitutus est plenariae sanitati, ita quod innaturali  
pallore ab ejus facie recedente, incoepit finaliter sibi

fieri sanus color. Praeterea quia credo vos paterna provisione  
prosequuturos negocia domus meae, non porrigo  
vobis preces super aliquo speciali; sed ut generaliter quid  
expeditat providentes, filios meos et filias habeatis recommendatos  
in omnibus sicut pater.

n. 29

Nobili mulieri dominae B. P. deVinea salutem et consolationem  
quam potest et debet. In praematuero filii tui  
casu, quo percussa doles et sauciata tristaris, impleas  
naturae debitum, sed divinae correctionis imperium non  
contemnas. Nec tamen usque adeo, licet intus efferveat,  
exaggeratus sit dolor, ut contra Deum provocata, quodammodo  
videaris te vindicare velle cum lachrymis, et  
irata in judicem potius quam correcta credaris, praesertim [Page 330]

cum habeat Dominus quod clamanti respondeat, et habeat  
consolator quid offerat lachrymanti. Nam ille qui suum  
communi ratione repetit, iste dilectionis maternae consolamen  
superstitum tibi concessit sufficientem numerum  
filiorum. Ad quorum omnium bonum me libenter  
et hilariter offero affectione paterna sollicitum, et amica  
provisione fidelem in posterum reservabo; quorum  
unum, si concederet Dominus, natura futurum mihi promisit  
filium et agnatio reliquos filialis affines.

n. 30

Vocatus nuper ad presentiam nostram magister Petrus  
de Vin. pro instantibus Excellentie nostre servitiis, quae  
personam suam specialiter exigebant, domesticas et festivas  
primitias nuptiarum quae in conjugii vicinitate tripudiant,  
mandatis parendo dominicis, interruptus. Cumque  
domum suam et consortis sueae novae constantiam,  
cujus erat in suo pectore cura major, dum custodes  
incertos hospites nollet ad hoc vel potius dubitaret admittere,  
socrui sueae, de qua prae caeteris confidebat specialiter  
et fiducialiter commisisset, quae licet in totum [Page 331]

virilem supplere non possit absentiam, nihilommus tamen  
abinde non discedit; dictus magister nostro culmini supplicavit  
ut domum et filios socrus ipsius quos ex causa  
praedicta deseruit, sub nostra protectione recipi mandaremus.  
Cujus supplicationibus inclinati, fidelitati tuae  
praecipiendo mandamus, quatenus domum, terram et  
filios mulieris ipsius non permittas ab aliquo molestari,  
sed ipsos in eorum juribus, auctoritate nostri culminis,  
manuteneas et defendas.

n. 31

Ex litteris tuis, frater, quas apud Ortonam de manibus  
T. gratanter accepi, orta est mihi laetiae plenitudo, ubi  
sub novo coelo et inter acervos novarum mores et linguas,  
tam dulcis fratris lepidis me recreationibus visitarent,  
nec aliquo minus gloriosum fecere legentem quem  
ex eis dijudicavi meritum nec privatum fratris affectibus  
etiam in remotis. Et hic est verae germanitatis zelus,  
purae fraternitatis affectio et sincera sinceritas dilectorum.  
Ad hoc dum mittentis nomen legi suprascriptum in  
margine, tecum protinus una fui, nec obstitit mediatio  
interjectae telluris quin in ictu oculi transcursis tot spaciis  
totus essem. Dum vero consilium persuasionis tuae  
oculo insatiato relegi, in tali proposito amplexus sum et [Page 332]

novi affectus tuos ad tuum, et consideravi quantus sit  
fervor tuae dilectionis ad fratrem, in quibus omnibus  
gratificor tibi, si gratiae rependendae sunt ab aliquo sibi  
ipsi. Sed attende tamen quam injuriosum sit hujusmodi  
pugnam repetere ubi vel victum se noverit vel  
enormiter actum in fugam. Non enim sine verecundiae  
nota, sine pudoris infamia accessus ad omissa repetitur  
et repetitio ad prohibita intentatur. Nunquam vidi compeditum  
ad compedes, nunquam audivi ad captantem  
captivum a jure postliminii voluntarie rediisse, et in  
brutis hic sensus est ut nunquam per se soluta revertantur  
ad camum quum vix etiam coacta supportant. Annon  
recolis, ut ludum immisceam, quam ingeniose, quam  
saepe quamque libenter equius ille rectus ambulabat et  
modicum exuebat camum aut frenum quod portabat a

capite, ut semper et curatoris astuciam et patroni quandoque  
cautelam indocilis dissolvendo deciperet? Nunquam  
tamen eumdem memini semel saltem per se frenulum  
rehabuisse. Quid ergo? Numquid homo quem in modico  
Deus minoravit ab angelo et prudentiorem filiis lucis  
in generatione sua testatus est, inferior erit intelligentia  
brutis? Numquid homo rationalis quem genuit et lactavit  
licet sub crasso aere patriaque, vernilem quam omnia  
fugiunt liberatus repetet servitatem? Solus enim freneticus  
portat funem ex quo ligatur. Respice insensibilia inanimata  
et miraberis omnia mirabiliter appetere libertatem.  
Si crescenti plantulae pondus incubat, nonne vidisti  
multoties quod quadam sagacitate declinat obstaculum et  
perimi non patiens in liberum se semper conatur aerem  
explicare? Si velis, poteris ex aliis omnibus colligere [Page 333]

argumentum. Et haec omnia quae facta sunt ad nostram  
doctrinam, facta sunt ut semper nos componamus ad illa.  
Unde igitur ego natus ex homine libertatem hanc quam  
diuturnis suspiriis, anxietatibus, votis et desideriis meis  
concessit Omnipotens, vitare non debo ne ammittam.  
Sic enim criminaliter offenderem concedentem.

n. 32

Ecce sanus scribit vobis quem desperatum in recessu  
vestro dimisistis potius quam infirmum. Plura vobis et  
latius scribere [voluissem], sed festinancia latoris praesentium  
non permisit. Scribo tamen quod necessarium  
occurrebat quod cum Guillelmo nepote meo, communibus  
voluntatibus et utilitatibus hinc inde concurrentibus, de  
dominis cambium faciatis, et caetera.

n. 33

De mandato imperiali facto per judicem Petrum de  
Vinea scripsit P. de Capua:  
Fridericus, etc., Thomae de Montenigro justiciario Principatus, [Page 334]

etc. Insinuante Johanne de Vinea civae Capuae  
fideli nostro, nostra serenitas intellexit quod multa de  
bonis cappellae nostrae Sancti Petri ad Curtem, quam  
specialem reputamus inter cappellas alias regni nostri et  
eam de nostra sibi contulimus gratia majestatis, pro  
malitia temporis retroacti et ob negligentiam eorum qui  
cappellam ipsam hactenus tenuerunt, a tempore regis  
Guillelmi secundi consobrini nostri felicis memoriae usque  
ad felicia nostra tempora, [sunt] occupata, locata,  
alienata illicite ac distracta in praejudicium jamdictae  
cappellae nostrae et non modicam laesionem.  
Cum igitur etc.

n. 34

Gaudeo si prospere valetis et vivitis et omnino deprecor  
ut incolumentem vestram in aliqua mihi litterula  
nuntietis. Dolui (novit Deus), fratres et amici karissimi,  
quod magistrum A. tercium vobis socium Capuae ex  
inopinato vobis fatum commune substraxit, quum bonae  
indolis juvenem et amicitiae liberalis fati sevities invida  
noluit esse superstitem ut a dierum suorum dimidio revocatus [Page 335]

necessarios et amicos in amore desereret, quibus  
nundum pleno cooperat esse solatio; unde merito conqueramur  
eum vita destitutum in florido vitae cursu.  
Scio magistrum nostrum et unicum benefactorem magistrum  
P. de Vinea de tanti amici casu fuisse concussum,  
quum ingentes affectus animo non sine causa conceperit  
quod vinea sua tres palmites ex una vite fertili  
protulisset et dignos in Cesaris praesentia stiparet e  
cariorum suorum gremio tres adultos, honestatis et vitae  
suae tres aemulos et sequaces, eosque ex tanto praceptorum  
unum eamdemque pariter habuisse doctrinam,  
unum affectum in tribus coaluisse personis et nescii quaererent  
et consciit mirarentur. Felix pro certo societas et  
unitas illa trium quae a praceptoribus et patriae moribus  
in nullo desciverat, ut inter indigenas et concives  
suos unicam sibi gloriam et laudem acquireret nec careret  
invidia quod per tantum artiflcam scientia et devotione  
prompta gratiam in conspectu principis ad secretorum  
assumpta participium meruisset. Quia igitur, fratres

mei, depositum suum repetit qui commisit, et speramus  
quod vere confitens ad requiem ex labore transierit,  
sumendum est ex illius carnali depositione solamen ut in  
ejus praecipue transitu vitam nostram corrigamus. Exinde  
quod incerta nobis semper hora permittitur, cum nichil  
sit incertius hora mortis, reminiscamini, etc...[Page 336]

n. 35

Utrique notario G.Petrus de Vinea salutem. Habet haec  
litera breve legationis officium: primo ut illis quibus  
mittitur salutem gratam offerat et devotam; secundo ut  
priusquam de civitate Capuana discederet, me sanum et  
ylarem ivisse dicat ad baheas; tertio dicat sociis quod ad  
ipsorum servitia vehementer aspiro, dummodo pusillanimitate  
tantummodo me requirere non formident.

n. 36

Pulchrum exordium de violis  
Cum veris initio, telluris gremio gravamine pubescente,  
ad recreationem spirituum cum quorundam comitiva  
intra purpurei nemoris amoena quae variis et diversis  
floribus natura vestiverat, delectationis otia duceremus,  
circumvagantibus undique nostris sensibus, inter florum  
varietates violas invenimus copiosus praenitere, etc...[Page 337]

n. 37

Descriptio virtutum rosae et violae, et que sit praeponenda.  
Quae vestra mihi scripsit excellentia, etsi jocosa sunt,  
profunda tamen meis sensibus videntur et ardua, quia in  
rebus similibus quae proprietatis effectus habent occultos,  
praeminentiam inveniri satis extat difficile, praesertim  
cum natura occulte operetur in talibus et humanum judicium,  
quod plerumque involvitur, non attingat substantiam  
veritatis. Nam et in hiis que corpore minima  
sunt, magis virtutis latet affectus quam in illis quae habent  
corporum vastitatem. Apis enim exiguum animal  
est, sed mirabile opus ejus quis enarrabit aut quis sensus  
dijucat, non video et etiam vix intelligo, quia illa talis  
connexio, si audeo dicere, non minus est quam miraculi quam  
naturae. Magna igitur et maiora quam credatur sunt vestra  
quaesita, sed quia tam excellentis dominae jussionibus  
parere desidero quantum est humano permissum ingenio,  
aggrediar propositum enodare. Omnis namque substantia  
triplicem corporalis de se habet investigationem,  
videlicet a materia, forma et effectu. In quibusdam enim  
materia superexcedit formam, in quibusdam forma materiam,  
in pluribus effectus utramque, et hiis etiam aliae  
dispositiones accedunt quibus substantia declaratur.  
Rosa siquidem et viola in materia convenient, sed forma  
differunt et effectu. Differunt etiam in aliis proprietatibus,  
hoc est per prius et posterius; differunt etiam quantitate  
et ex hiis itaque supradictis praeter materia investigari  
debet que sit praeminentia unius ad alteram studio sensus  
et etiam rationis. Sensu namque percipitur quod  
viola prima petit campum, et ita ratione prioritatis dicitur  
esse cunctis floribus praeponenda. Unde legitur quod  
tantum de tribu Juda fuerunt reges in Ierusalem pro eo  
quod in transitu Rubri maris prior tribus illa transivit.  
Ergo quia prior tempore, ipsa sibi prioritas vendicat principatum.[Page 338]

Praeterea primogenita est inter flores et primogenitis  
benedictio debebatur. Item pro eo quod minor [est]  
quantitate, non sibi detrahitur, quia dictum est: in minimis  
major gratia reperitur. Item temperatas habet qualitates  
et aequalis complexionis gaudet effectu. Odoris fragrantiam  
porrigit valde gratam, et ut breviter mores ejus  
concludam, humilitatis vestigia repraesentat. Verum quia  
divisorum est diversa sentire, sunt qui rosam nituntur  
praeponere ratione majoritatis coloris et odoris. Altior  
quidem surgit, magis diligitur et carius possidetur, et  
quia communior est ex eo quod divisiones recipit in duas  
species, merito acquisivit plurimum dignitatis. Nam  
quanto aliquid communius est ut habetur in naturalibus,  
tanto dignius est, et ideo ex hac praehabundantia quod  
alia est alba, alia rubra et viola una sola specie contenta  
est, a rosarum fastigio minoratur. Unde concessa sibi

prioritas minime rosae praeiudicat, quia et solem praecedit aurora, nunquam tamen solari excellentiae adaequatur. Item igneum, habet colorem, odorem. mirabilem, accingitur multitudine frondium et extollitur plusquam viola. Effectus insuper non minus efficaces habet quam viola, plurimis commodis distributa. Verum quia effectuum consequentia prior est in rosa quam in viola, violae rosam sentio preponendam...

n. 38

Haereditarior domino suo Conrado Dei gratia invictissimo Romanorum regi et regni Ierosolymitani haeredi,[Page 339]

Petrus de Vinea omnem devotionem et fidem. Oblatum mihi per latorem praesentium fratrem S. regale clenodium gaudium attulit, sed stuporem ingessit. Unde mihi hoc quod domini mei filius in me respicere dignaretur? Subarrasti me, domine mi rex, annulo devotionis et fidei, quanquam hoc nulla causa cujuslibet necessitatis exigeret; ego enim servus tuus et filius ancillae tuae. Quum illud nec aetatis robustae perfectio postularet, suasit hoc tamen industriae paternae successio et illa praecipue regibus innata nobilitas per quam, Cesaribus virtus influit ante diem.

n. 39

Illustri regi Sardiniae Petrus de Vin. Confortare, domine, et viriliter age ut quod [de] te multorum tenuit opinio, veritas attestetur nec regiae prolis animum inoptata negotiorum multitudo confundat. Ecce enim quod ad consummationem omnium desideriorum nostrorum nobis imperialis potentia procul dubio conjungetur...[Page 340]

n. 40

Domino magistro justiciario P. de Vinea. Ignis incendium quod ultra quam licet ultiro progreditur, olei adjectione non indiget ne in dispendium evagetur, et iracundiae motum quem causa non provocat, augeri justiciae colore non expedit ne transeat in furorem. Sic et Romanae curiae pelagus quod modicus ventus exagit, commotione nautae cui regni navigium imperiali provisione committitur, commoveri, praesertim rebus ut nunc se habentibus, non oportet. Rogo vos igitur, domine, cuius obsequium ex devotione sincera in conspectu principis placuit, quantum in vobis est, turbationem omnem quae ex collisione tam sublimium gladiorum posset emergere submoventes, praesertim hoc tempore quo negotio totius Italiae imperiali provisioni commisso posset periculum imminere, sine speciali mandato principis aures et animum summi pontificis nullatenus perturbetis.[Page 341]

n. 41

Recepit cum lacrymis tui seriem rescripti manus mea quam tua mihi nuper dilectio destinavit, et quamdam quasi mixturam doloris et gaudii subsequentis insinuata per eam in meam notitiam deduxere, dum sensibus meis constanter constitit per eamdem quod te de infirmo resumpsit firmitas sanitatis. Compassus quidem tibi sum in dolore non modicum, novit Deus, et in convalescentiae gaudio congavitus. Non injuste verumtamen tuae credulitatis vota si nostrarum mentium acies dirigatur, secundis in parte successibus caruere, cum a te hoc anno speratum fuerit quod postquam ab imperiali curia discedebas nullius consiliis acquiescens, casus in aegritudine nullo modo pati posses. Nunc ergo confidens in visceribus cordis tui, quod cogitationes hominum vanae sunt et quod solus Deus est omnium rerum salus et nullius loci fasces facit et distribuit sospitatem, age gratias semper Domino Deo nostro, cum multis haec infirmitas fuerit vita et ejus tibi beneficium reservaverit.[Page 342]

n. 42

Jocunditas mihi et exultatio exuberant quotiens obsequio famae vos benevalere cognosco. Etenim solempne est mihi vos colere, vos amplecti. Inde est ut mihi ad plenitudinem cedant gaudii quae circa vos sunt prospera. Postuleatis igitur quod possit amico et quod expediat

erogari.

n. 43

Suo judici Peregrino P. de Vinea, etc. Placuissest mihi  
quod in infirmitatis acumine constitutus tui praesentiam  
habuissem. Sed postquam me posito inter utramque fortunam,  
dextera Salvatoris deflexit ad salutem, si commode  
posses, vellem libenter quod nunc obtenta convalescentia  
gratius me videres, ut prout tecum in examine  
valitudinis positus saepe tractaveram, coram te disponerem  
de rebus meis, cum decentius videatur providere[Page 343]

salutis tempore quam repentinis casibus subjacere. Audivi  
verumtamen, ut egregii marchionis Lanceae missae litterae  
Cesari testabantur expresse, quod in facto Novariae  
servicium fructuosum satis et efficax per te imperiali culmini  
sit collatum. Propter quod cum in praesentia ejus  
favorabiliter non immerito videaris, nolle quod per  
absentationem tui in hac parte tibi afferretur aliquod  
nocumentum. Nam si Papiae nequiverit fieri vel Vercellis  
vel alibi ubi se major habilitas dederit, praesentibus ambobus  
in curia id poterimus, concedente Domino, salubriter  
adimplere. Incolumis existas et alacer, sciturus  
me per Dei gratiam restitutum integrae sanitati, licet  
debilitas quae remansit provida refectione corporis egere  
videatur ad tempus.

n. 44

Ad abolendam malorum nequitiam repertus est rigor  
justiciae, per quem simplicitati consultitur innocentum et  
nocentum fraudibus obviatur. In medio residet judicialis  
auctoritas ut quos amor justiciae a malo non revocat,  
cohercat severitas disciplinae. Amicus est ille judex justiciae  
qui sic in uno punit excessus, cum per impunitatis  
speciem non aperit viam excessibus nec culpam extendi  
patitur in exemplum, immo per supplicii similitudinem  
interdicit caeteris aditum delinquendi. Si poenam meretur[Page 344]

aliquis ex debito, dominus P. non transbit impunis qui  
vincula debilorum suorum quibus dominum A. reliquit  
implicitum statuto termino non dissolvit, et juramenti  
praestiti foedere post terga relicto, certo termino faciendi  
transgressionem initivit juramenti. Mora non prorogata  
post terminum approbationem perjurii praedicat in  
aperto! O mira mentis oblivio quae sic dictum P. immemorem  
reddidit quod oblitus est a nexibus debitorum  
absolvere hominem illum qui se illius debilis impedivit  
ut ille rediret ad propria expeditus! O mira severitas quae  
sic severum effecit eumdem quod sibi et proximo non  
pepercit et offendit proximum non compatiendo homini  
qui patiebatur pro eo! O mira peregrinatio sensus quae  
fecit ipsum moribus et justitia peregrinum, quod credit  
alium debere solvere quae suis usibus ipse consumpsit.  
Propter haec, viri nobiles et prudentes, ctc. (Caetera  
desunt.)

n 45

Nobili viro domino Rogerio de Amicis P. de Vinea.  
Veniet ad vos notarius Rodulphus de Podio cum imperativis  
litteris et commendatitiis ab amico. Ipsum igitur  
vestro conspectui gratum reddant jubentis imperium et  
affectio commendantis.[Page 345]

n. 46

Magistro Rodulfo de Podio domini imperatoris notario.  
Non solum ex bino actu qui consuetudinem solet inducere,  
sed multiplici, sicut scitis, specialiter vobis scripsi  
ut semper mea onera relevetis. Igitur onus istud expeditionis  
celeris latoris praesentium quod requisissem si praesens  
fuissem, vobis absens impono ut inveniat me in  
vobis. Sic enim et mihi consuetudinem obtentam servabitis  
et gratum me acquiretis amicum.

n. 47

Domino Symoni Vento P. de Vinea. Injuriose secum  
actum a vobis vir nobilis Synibaldus de Fossaceca conqueritur  
qui, cum curialis sit, a curiali non debuit molestari,  
praesertim quum negotium quod inter vos et  
ipsum agitur, ponere sit paratus in manu curialium communium.

Non decet igitur vos in hoc vestro novo dominio,  
nendum curialem, sed nec quemlibet alium indebite  
molestare.[Page 346]

n. 48

Domino G. de Falarino suus P. de Vinea, salutem. Video  
quod apud me Salernitanus non es, sed verus amicus,  
dilectionis tuae constantiam facto potius quam verbo  
commendans. Exemplum enim dedisti mihi ut et ego  
faciam quemadmodum tu fecisti. Vive itaque, amice carissime,  
sospes corpore, laetus corde, opulentus in rebus,  
et in negotiis meis ad quorum promotionem te ultroneum  
exhibes non rogatus, illam quam lex amicitiae  
postulat diligentiam procurationis appone.

n. 49

Valentinensi electo. Quod vester, immo vestrissimus  
haberi debeam si grammatica sustineret, fida latoris praesentium  
relatio suggeret qui magnum vos in ejus obsequiis  
coram magnificentia principis praesentavit, per  
quem negotia vobis sub illa fiducia recommendo, quia  
negocia commendata nobilibus indubitate consummationis  
sortiuntur effectum.[Page 347]

n. 50

Suo magistro Rofredo de Benevento, suus P. de Vinea  
novae relationis gaudium et veteris devotionis affectum.  
Adventum vestrum ad curiam ante vocationem expedire  
credidimus. Nunc autem credimus oportere, ne vocans in  
vocato se contemptum, et imperans per vocationis litteras  
habeat se deceptum. Igitur, ut breviter me expediam,  
vel venire sacerorum expedit, vel generum non remitti, etc.

n. 51

Prudentissimo hominum suo tanquam domino, domino  
magistro P. de Vinea Theodorus philosophus salutem et  
in multa commendatione seipsum. Quantum tripudii  
mihi esset si vera de vestro statu desiderabili expectationibus  
meis aliquis nunciaret, nec pagina, puto, caperet  
nec lingua referre valeret. Tamen in consolatione spiritus  
et convalescentia corporis significare velitis esse[Page 348]

vera ex vobis, ne vestram videam circa me friguisse  
igneam caritatem. Et ecce in nostri memoriam de zucaro  
violaceo plenam pixidem mitto vobis, ut aliquando me  
non tradatis neglectui qui nolle a vobis aliquo intersticio telluris abjungi.

n. 52

[Magistro Theodoro Petrus de Vinea.] – Quod continuis  
nos visitatis exeniis, amiciciorem vobis amicum ex  
hac causa non facitis, cum adjectionem recipere nequeat  
pleniludo. Illud tamen exeniorum vestrorum dulcis et  
utilis continuatio vestra facit quod a nobis occupatio negotiorum  
continua vestri memoriam non abducat...

n. 53

Si verum est quod praeterita sint notitia praesentium  
et praesentia futurorum, non vereor ut quum dudum  
apud vos noticiam familiaritatis et gratiae nactus sum, ex  
gratia vestra aliquid mediatio temporis vel jactus absentiae  
mihi interemerit. Cautionem quam etiam in me, si  
recolitis, triplicis arrae stipulatione firmastis, dum in  
forti stamine sensi robur, in violaceo colore fragrantiam,  
in curro (?) pondus et in saphiro virtutem, devotionis,  
fidei, amoris et constantiae me jugiter servare mandastis  
ex dono. Servavi quidem et illibate servabo, et ecce[Page 349]

praesto sum reddere depositum vobis cum fenore, commissum  
cum lucro et creditum cum usuris, nichil aliud  
per haec vobis offerens quam me ipsum, rogans etiam hic  
ubi sum habere me speciale ad servitia vestra velitis et  
uti me non aliter quam re vestra. Brevibus verbis me  
vobis offero, ne puritatem cum prodigiis verborum obtenebrem,  
et praesertim cum a me ad vos in quem habetis  
jus merum dominii, nova non habeat oblatio locum.  
Cum requirere placuerit, animum meum comprehendetis  
infallibiliter per effectus.

n. 54

Audientes prosperitatem principis et salutem laeti laetis

scribimus ut a laetis nobis laeta sicut cupimus et de quibus  
cupimus et cupitis, rescribantur. Statum igitur ipsius  
et prosperos actus ejus, immo rumores curiae qui hic  
varie referuntur, sub ea quam habetis certitudine nobis  
petimus nunciari, rogantes ut a volendo et potendo vos  
non faciat loci remotio inaudaces, quia ad volendum et  
exeundum quae vultis erimus in absentem promptiores.[Page 350]

n. 55

Inter caetera quae tam de plena salute corporis quam  
de aliis accidentibus mihi per Dei gratiam pro voto succedunt,  
in uno tamen videor facientibus vobis sustinere  
defectum, quia de salute vestra non possum frequenter  
sicut cupio recreari. Si hoc unum adesset, cuncta mihi ut  
volumus prospere agerentur. Recordamini quia ex quo  
personam vestram non vidi, litteras non accepi. Sed scire  
potestis et etiam sono vocabuli a graeco protracti recte  
perpendere, quod epistolae missiones dicuntur, et ideo non  
tam praesentium sed absentium adjumenta sunt amicorum  
epistolae. Quid ergo fuit, quid obstitit ut absentibus  
nobis tamdiu nulla mihi a vobis littera mitteretur, quae  
servum vestrum fessum hinc inde negociis et sub panno  
tenui nichilominus solis obstantibus fervoribus anhelantem,  
leni aura de vestra salute spirante mulceret? Ceterum  
etsi me in similibus accusatis, judicium dispar est.  
Nam propter infirmitates multorum me ad multa cum  
paucissimis nostris remanente et propter hoc multipliciter  
occupato, morbo etiam quasi universaliter fervescente,  
dum turbarer ob hoc et multum pavescerem, cum  
a publicis vacabam negociis, libenter mihi in privatis[Page 351]

parcebam; faciebam tamen quod poteram et fas erat,  
videlicet vos per omnes ad partes ipsas venientes nuncios  
salutando. Ideoque quia credo vos ex iis convicisse, nisi  
forte alia penes vos exceptio lateat, quae mei allegata  
proponentis elidat, quicquid huc usque fuerit, quicquid  
obstiterit, pro Deo rogo ut amodo mihi non faciatis in  
hujusmodi parcitatem, quia gravissimum gererem nec  
tale delictum veniam mereretur si in culpam similem  
similiter iterum caderetis.

n. 56

Responsiva ad praecedentem.  
Peccarem in filio et in devoto delinquerem si patris  
fidem in praesentia praestitam servitori absenti non offerrem,  
cum praesertim legam semper in regestro memoriae  
nec intelligere negligam quanta me semper honorificentia  
praevenistis et, ut tractentur aliqua, quanta sollicitudine  
procurastis ut a lecto resurgerem quo languebam.  
Igitur quam lucrati estis uvae vinum et de messe quam  
defendistis a pluvia fructum, si quem dare potest, congruum  
colligatis, ne impingatur vobis quoddam quod  
nolo dicere vel contemptus, si eam penitus duxeritis  
omittendam, a qua etsi nondum plenos manipulos, grana  
saltem colligere valeretis, praesertim cum apta sit jugiter  
dare pro posse vobis fructum suo tempore graciosum.  
Rogo praeterea ut memoriam mei non absorbeat interjectio  
Scyllaei maris in vobis nec consideretis si placet  
quanta profunditate quae latens est marina Caribdis involvat,  
sed quam brevi spatio claro hinc inde lumine  
subito tellus utraque sit divisa. Praeter haec si quid acceptum  
vobis largiri potest Liguria, licet felicitatem ejus  
depravet infelicitas incolarum, requirite; quia non deerit  
Ebreo quid offerat gratum domino ex Egypto, cum defectus  
habere non valeat locum sub principe glorioso.[Page 352]

n. 57

Ad pacandum motum et animum principis quem  
aemulorum invidia detractionis contra nos flatibus reddidit  
inquietum, cum exeniis placidis verbisque suasibilibus  
ad curiam sine morae diffugio dirigi providimus  
gressus nostros, summopere admonentes ut si qua in  
regis curia nuper de statu Siciliae fuerint innovata, vigili  
nobis studio per vestras litteras intimetis. Quare donec  
ex hiis nobis certitudo facta non fuerit, secundum intersigna  
Messanae condicta, abesse non disponemus nec

n. 58

Domino... Panormitano archiepiscopo. Sanus pater  
praesentibus culparetur si non sinistra exciperet, quod  
languentem october a primo statu depulit, ad quem nec  
januarius hactenus revocavit. Patrem utinam roboret  
sanitas, prosperitas foveat et gaudia comitentur, nec tamen  
longius abscedat a filio, cui si praesentia redditur,  
ferrei habilius [id] quo gravatur.[Page 354]

n. 59

Provideat circumspectio vestra ne in canonem amicitiae  
incidatis vel potius incideritis, quo cavitur ne transeant  
mentes dilectorum cum loco, ne quaevis oblivio facie  
coeli mutata subrepatur. Diu quidem et multum praeter  
amoris morem siluistis ad patrem et calamus vester tacuit  
ad amicum, ubi de vobis ipsis nihil certum misistis  
nec saltem sollicitastis eum ad odorem verae dilectionis  
recreare quo grata consuetudine pasceretur. Sed  
forte ad hoc vel defectum allegabis vel incusabitis  
negligentiam nunciorum. Certe si controversia sub judice  
verteretur, de jure elideretur utrumque; sed cum  
haec et alia terminanda in utriusque praesentia suspendamus,  
ecce ut plena omnia sciatis de nobis, accincti  
sumus venire ad curiam, et ut apertius intelligatis, venimus  
proposito irrevocabili et voluntate firmissima jam  
tenentes pedes ad iter. Ut de hoc vester animus non vacillet,  
ecce praemittimus effigiem nostram et non dubiae[Page 355]

stipulationis cautelam... latorem praesentium  
qui arra est et solutio certa pro nobis, rogantes ut personam  
nostram in persona recipiatis ipsius et in figura ejus  
nostram effigiem habeatis, ipsum in omnibus, etc...

n. 60

P. de Vinea eidem significat imperatoris animum, suadens ei  
quod cito veniat.  
Cum omni devotione vidi litteras vestras et statum vestrum  
juxta vota prosperum et salubrem ylariter intellexi;  
desideria vestra non patiens ignorare quod communis  
dominus noster serenissimus imperator, ut optatis, mente  
et corpore prosperatur, remoto Aman procerum et aulae  
turbine et ad ponendum. calcaneum in praesentia clericorum  
in quos data sibi dudum potestas extitit coacto, ut  
ab hiis quos per fas et nefas condempnaverat judicetur.  
De Mardocheo vero qui se absentavit a curia imperatoris  
impatientia sponsae suae omnes qui spem in eo posuimus,  
pro absente languemus expectantes ut redeat et  
suae praesentiae lenitate a pristinis affatibus excitata continuo  
reficiat anxiatos. Usquequo, pater, vestris erit inutilis  
mora vestra! Sane si sic expedit et ecclesiae etiam  
votum exegit redditum vestrum, tempus est ut ad curiam  
cujus estis alumpnus, quae diu vestri lactis alimenta suscepit,  
mentis oculos revolvatis ubi cotidie reponebatis in  
horreis Domini manipulos pietatis, pauperes et debiles,  
pupillos et viduas misericorditer adjuvantes. Nec erat  
insuper vestris inutilis status vester, qui clamant nec inveniunt  
adiutorem. Haecce interim immature suadeo, nec  
aliquid vestris infallibilibus propono consiliis, licet prae  
oculis vestris cuncta quae iis adjacent adjiciam confidenter.  
Caeterum ut pauca suggeram sapienti, multa locuta  
famae subtrahenda sunt et linguis detrahentium occultanda.[Page 356]

Consideretis igitur, si placet, materias redeundi  
et quod pro redito vestro consultius videbitur consueta  
providentia procuretis. Me vero vestrum sciatis ad omnia  
et in iugi cogitatione manere, donec iuxta desiderium  
meum redditum vestrum audiero procuratum.

n. 61

Idem archiepiscopum eidem quod resumptis viribus ab infirmitate  
suum properabit adventum, cum recommendatione cujusdam.  
Propter verba labiorum vestrorum ecce incepimus et  
persequimur vias duras. Veniemus et venissemus citius  
nisi illa infelix Panormitana civitas nos per caloris intemperantiam  
et per insultum etiam reumatis impeditisset.

Sed expedit ut ab ea resumptis viribus quantum possumus properemus. Scitis praeterea quod transeunte cum universitate eo modico quod promissum nobis in Syria fuerat et in Apulia datum, a quo tale quale vitae subsidium habebamus, aliis etiam adminiculis in promotione illius hominis noviter amputatis, in solis et puris remansimus intellectibus, nec erat nobis aliquis in diversorio locus. Jam nil aliud restat nobis nisi ut carrum quem viatores subivimus, sub ea qua intravimus macie repetamus. Caeterum ecce homo quem de capa in mantellum convertimus, ad vos venit sperans ut capae simplici, immo nimis tenui et nimium depilatae praebeatis auxilium adportandam, ut locum ad cuius regimen datur protegere valeat a turbine et pluvia. Sollicitudini enim ejus nil deest quin laudabiliter incepert et bene laboret, si in auxilium suum favor intercesserit amicorum. Unde [Page 357]

pro Deo juvate eum modis omnibus, ut potestis, ut sentiat vestrum levamen, qui devote celebrat nomen vestrum.

Audietis praeterea quod vobis dicet et secundum quod decuerit et expedierit docebitis eum facere quod videritis faciendum.

n. 62

Idem eidem excusando se de mora; exprimit causam morae. Ad negligentiam vel contemptum nobis imputare vos nolumus, qui exhortati per vos frequenter et moniti ad curiam sub quadam tarditate venimus. Causam enim morae felix illa vel infelix Panormitana civitas nobis dedit, que suis semper male consuevit respondere hospitibus et nunc suo pontifici sic respondet, et illorum quos praevenire credidimus facti sumus [ex] impedimento sequela.

Exercens enim in nos pestiferas vires suas propositum itineris nostri suo tempore nos prosequi non permisit.

Sed ecce resumptis viribus tarditatem praeteritam praeSENTI festinancia redimentes, ad pedes imperatoriae majestatis accedemus, rogantes ut per vos, quantum licet, causam morae ad redditum nostrum sciatis.

n. 63

Archiepiscopo Barensi Petrus de Vinea et R. Porcastrella.

Nos duo quo vobis unanimes profectum vestrorum promotio [Page 358]

facit unum, unanime vobis consilium mittimus ut processum quaestionis super ecclesiam Beati Nicholai de Baro saltem usque ad adventum nostrum ad curiam differatis, interdictum vestrum contra volentes adire praedictam ecclesiam editum remittentes. Quod idcirco consulimus ut de corde principis omnis circa vos evellatur rancoris occasio, eum causa non subsit.

n. 64

Amicitiae novellae sinceritas quae a vestræ curialitatis effluvio amicabiliter traxit exordium, statim studium scribentis allexit ac inextricabili quadam dilectionis ymagine Jacobinum animum informavit. Processus tamen habitus caritativis argumentis arguitur quod ibi me vestræ praecessit dilectio ubi vos in amorem credideram prævenisse. Verum eum hoc ex sinceritatis favore processerit, sic continuo roboretur ut ita me universaliter admittatis in vestrum, cum ob vestræ dilectionis instructum, tum ob honorem per vos exhibitum summopere, quod nulla in me particula serviendi remaneat particulariter offerenda. [Page 359]

n. 65

Absit mihi domestica vinea quod ita sit sterilis animo sicut verbo, quia si non esset tolerabilius suus non dicerer, et ipsa vel ipse meus competentius taceretur. Hoc, inquam, absit remotius, ut suus non dicatur alteruter ex duabus quos una provincia genuit, et una terra lactavit, et incrementis sequentibus non multum dispar provectus arrisit; et adhuc etiam absit et tertium, ut lingua non redoleat inter istos affectum, et haustus vocis non auriga sit operis, ut mutuo sui dicantur, nec sint: haec inquam inter mores homines abdicant et natura proscribit. In his itaque si Petrum aut Jacobum negligentia feriat vel maculet culpa, perspicacitas vostra mundo jam experta

discutiat, nec, quasi patris verenda rideat, censuram restringat:  
non enim pudet argui patrem a filio, si peccavit.  
Reor tamen quod me tuetur exceptio, quae tam  
peremptoriis quam minoribus subducit aegrotos, et  
diem prorogat etiam, dum poenalis instantia moram accusat.  
Cum enim multis morer occupatus majoribus, qualem  
me dimiseritis oblivio non obduxit. Collectis ergo  
per calculos mensibus, usque nunc docebit vos veritas,  
qualiter non solum mihi, sed et multis in me mors remedio  
fuerit, et vita tormento. Quid itaque mirum, si tunc  
non salutavi quem diligo, dum in me crebris accessibus[Page 360]

pullulante sola desperatio vivendi viveret et salutis? Sic  
igitur in vos invehor dum accusor, et primo secundum  
Evangelium infirmus fui, et non visitastis me, quod utinam  
in vobis senatus superior quasi culpam non arguet,  
nec neglectum solum id judicans obstupescat! Ha fili,  
fili, quantum multis est amarum silentium, quorum loqua  
dulcescit et probat regula, quia augmentatur per  
similia simile, et assumitur secundum materiam quae  
tractatur. Amaricavit me morbus dum fremuit, nec minus  
Petri scribentis officium adversus me, dum suspendit.  
Sermo tamen prolixior, quem posset materia texere,  
breviatur, et de culpa vel offensa si extitit, pace data,  
rogo quatenus de triumphalibus auspiciis domini et prospero  
statu vestro patrem Petrus frequenter laetificet, nil  
annectens excusatorium sic dicendo: «Ha pater, pater,  
quem gaudia distrahunt, hunc alludere calamo non permittunt.»  
Fateor, sed tempus in hujusmodi non per momenta  
sic tollitur, ut quies vel otium non alternet, alioquin  
defectum concluderet ille versiculus:  
Quod caret alterna requie, durabile non est,  
Totum ergo remittitur, et nihil ex praeteritis imputatur,  
dum modo Petri per litteras suus Jacobus confortetur.

n. 66

Idem eidem et super eodem.

Semper crescit culpa, quamdiu differtur emenda, et  
mora quae ingruit, donec purgetur, morosior judicatur.  
Olim, credo, scripsi ne diutius sub hac mora languescerem,  
et in vobis claustra silentii precatus sum reserari,  
quae mihi longo jam tempore dum ostiarius clausit patri,  
filius amarum vulnus inflixit, cui recta medela nunc paratur,  
ut praescripto silentio mutus hactenus jam loquatur.[Page 361]

n. 67

Item scribit Petro dominus Capuanus, et primo laudat eum,  
et postea mordaciter reprehendit.  
Nondum me salutaverat epistola quam misisti, cum ex  
duabus missis a me non levis querela perstreperet, tanquam  
eas in incertum direxerim, ut per arida climata  
gelidum aera salutarent. Ideoque se relegatas potius causabantur  
quam missas, dum ad illum receperant legationis  
officium, cui sensus et probitas quietem invident,  
magisque sibi domesticant discursus quam status, quem  
sic per fastigia sublimia distrahunt, quod modicum in  
eo minoribus familiaritatibus relinquant. Igitur dum  
querelis hujusmodi mentem divellerent, ac si mihi veris  
objectionibus conclusissent, tua subito responsalis se  
obtulit, et indicto silentio murmuri, spiritum in me pacificavit  
quiete. Nec mora, nexus tarditatis rumpitur,  
facies epistolae revelatur, ridet species quia nisi defuerit  
colorum varietas, figurabat picturam. Sed quam primum  
per clausulas diffunditur oculus, miratur legentis studium,  
si potuit in nomine tale ingenium concipi, quod  
tantam verborum pariret majestatem. Volebam (fateor)  
turbam quae aderat postico fallere, ut familiarius mecum  
essem, ne tam dulciloquii vel stilla deflueret, quae  
legentis sensibus raperetur. Credis ne potuerim, quin  
citius odor vineae domum repleverit, quandoquidem in  
facie Jacobi, quam aliqui nondum viderant, Petri paginam  
jam legebant. Fit concursus ad lectionem, urgeor,  
oblectat series, mulcetur auditor, sed sudant ingenia,  
dum satagunt provehi ad alta tribunalia styli. Occurrit  
tandem ille versiculus:  
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Sed beatus qui intelligit, neque curam negligit; sed dum  
vacat surculis insertis, surculos sibi inserit ex electa vinea [Page 362]

Petri: erit tandem ut talis insitio propaginetur in  
vitem, quandoquidem ex magisterio judicis quisquis familiariter  
legerit acinos, cito certo certius germinabit racemos.  
Haec credo pauca sufficient, ne scribentis gloria  
penes me videatur neglecta, sive quod humiliatur ad veniam,  
ubi conscientiam non arguit culpa, sive quod in  
verbi cythara patrem filius, sanus languidum, fortis debilem  
confortavit. In finibus tamen istis, quia metam sibi  
non assignavit epistola, forte gestiens calcibus lascivire,  
cogor longius progredi, ne mihi quid inhaereat ex illius  
scoria dicti: ubi scilicet durum et impossibile jactitas ut  
ad increpanda patris eloquia non exsurgas. Pudet verbi,  
quo sibi contrarius pungitur et quisquis post veniam contumeliosus  
offertur, praesertim si patrem increpet filius,  
quae contumelia non redimitur hirco vel pecude, sed  
tanquam crimen maximum, corripitur morte. Et certe si  
terreren plerosque filios tonitrua scripturarum, etiam si  
facies eorum patres conspuerent, oculos irreverentiae  
non levarent. Redeat igitur ad se filius, et sic secum cognoscet  
quod extra se lapsus eum linguae portavit. Hoc  
enim rectius esse potuit cordi flebile et oculo lachrymosum,  
ne surreptum tibi patrem vana causaretur opinio,  
tanquam in te didicerim eventus secernere, ut plauderem  
prosperis et terga darem adversis. Die tamen, si recolis,  
hujusmodi scholae limina sicubi videris plantis Jacobi  
trita? Audeo dicere: poterit in amicis et specialiter in te,  
fili mi, de constantia crimen ingeri, sed nunquam mutabilitas  
exprobri. Non credo talem imaginem quod de  
me sculpat veritas, etiamsi penes te mens ingeniosa coloret.  
Ideoque potuit sequens clausula de cordis atrio non  
erumpere, ut irrigationem domesticae vineae translatam  
in alias diceret, ex quibus sic lambruscas colligo, quia de  
uvis famesco. Amen dico tibi, tales nescio, quanquam ex  
lambruscis non semper sit usus sterilis, dum vinum [Page 363]

liquor colorat pallidum, et in floris substantia grato  
saporat odore. Caeterum non intelligo unde locus fuerit  
tam gravi querelae, ubi nil sum conscius quod inter  
amicos et proximos in me debilitaretur affectus, quin  
Jacobum Petri et Petrum Jacobi profiterer. Quae sane  
professio, firmis proiecta radicibus, ita senuit olim in juvene  
ut quotidie pubescat in sene. Valeat ergo Petrus  
meus et vinea mea, et quiescat in hoc calamus, ut inter  
amicos et proximos vel vicinos, Petrus apud me nulli  
scribatur secundus.

n. 68

In hac epistola magister Petrus de Vineis confitetur  
se culpabilem, unde petit veniam.  
Pater mi, quum terribilia mihi verborum vestrorum  
sublimia mittitis quorum nec tactus ardorem manus sustinent,  
nec oculi possunt tolerare fulgorem, non sunt hominis  
oculi lincei nec humeri gigantei, quod sermonum  
vestrorum profunditatem inspicere et sententiarum pondera  
valeant sustinere. Vix aliquando postquam a vobis  
abfui, lingua vestra se mihi levem exhibuit, vix se manus  
vestra pacificam, quin contentionem verborum proferret  
epistola, vel correctionem virgae dextera minaretur.  
O quam blandus et efficax fuit ille primus meae culpae delator!  
O quam veridici testimonii testis exceptione qualibet  
major, qui sic atrocem injuriam filii detulit, sic veraciter  
comprobavit, ut radicatam in fundo puri cordis  
offensam evellere filius, proh dolor, jam frustra labore!  
Certe, pater, si vidissent oculi vestri coram se de filio  
quod aure aliis dicentibus audivistis, non sic irremediabiliter  
visa visu colligere quam audita concipere debuissetis  
auditu. Sed ut manifestissime pateat, nimis declivis  
et fluxibilis via est auris ad omnia, nimis tenax, dum [Page 364]

facile verbum ingreditur, et ingressum digeritur citius  
quam vomatur. Indulgeat ei Deus, qui patrem sic credulum  
commovit in filium innocentem, nec miremini quod  
ignosco tam leviter circa me tam graviter delinquenti.

Induxit hoc etenim non culpae vel veniae levitas, sed exempli cupidio, quo potiri vos, pater, libentissime cuperem, ut sicut ego deferentis misereor, vos delato similiter ignoscatis, ac si forsan (quod absit) in tantum offensa circa cordis vestri nervos radicata convaluit, ut aliquatenus erui vel evelli non possit, utque, quod est severius, defensionis copiam, quam nulla delatis calamitas abstulit, denegatis, in hoc saltem mihi vestra paternitas, licet irata, consentiat ut suppresso quantum libet nomine delatoris, cuius aut quorum non sum ego prorsus ignarus, delati criminis qualitas detegatur. Et si de me licet taciti quaeritis quid exinde postquam scivero, nisi causam amaritudinis consequar, respondebo, vel in vero motus vestri laudabo justiam, quanquam forsan veniam laudare non possim, vel in falso meam innocentiam commendabo.

Consequar etiam adhuc aliud quod tum auditam commissi facinoris qualitate, vel desperabo de venia, vel satisfactionem quamlibet imparem reputabo; nec vobiscum postea, sed mecum ipse configam, et pugna vestra, etiam me jacente, desideratum victoribus exitum sortietur.

Desinetis postmodum aures meas verborum vestrorum tonitruis propulsare, nec voluntatem meam accusabis amplius, nec provocabitis voluntatem, dicentes quod sive velim sive nolim patrem, compatriotam, concivem vos habeam, dominum et amicum: nec praesenti sub virga diceretis hoc filio, quod absenti per literas intonatis. Dicite mihi, queso, pater et domine, quando et qualiter ego unquam hoc volui, quod beneficium patris, conversationem civis et puritatem amici, si placet vobis hoc scribere, recusarem; imo si in aliquo patri dicenti liceat [Page 365]

contradicere filio, prorsus contrarium procuravi, adeo quod de hoc solum vereor ne me apud vos amici mei vel inimici potius forte detulerint, quod circa me patris affectum, concivis gratiam et amici puritatem a diebus aliquibus citra aut enervatam invenerim, aut (ut mihi met blandiar) retardatam. Finiam igitur, et jucundiori fine perficiam quam incoepi; veniam expeto si loquendo profusius, si scribendo forsan amarius dolentis filii et innocentis conscientiae vena defluxit; et aperta voce clamabo quod me vos habere patrem oporteat, concivem expediat, et delectet amicum.

n. 69

In hac epistola concludit dominus Capuanus, et consolatur, laudando eum de dictamine.

Inter nos jam sufficit verbis agi, Petrus sit Jacobi et Jacobus Petri: imo sic fit utriusque alteruter, ut prospera dum contigerint, quasi plena promptuaria eructent ex hoc in illum, et inter unum et reliquum verus amor dividatur per semissem. Super his hactenus lusit invicem calamus, sed lyra dulcisona juvenis psallere senem fecit, per quod patris discussit rudia filii docta manus. Sint igitur haec inter nos, quasi terram cordis praesciderit verbi vomer ad cultum, semenque sparserit affectus ad fructum, ut herba deinceps coalescat in segetem, et in culmo spica proficiat, ut gravescat. Fient autem haec, si partus conceptum exerat, si suscipiat formam materia, et circa nos si quis esurit, spicam quam produximus, colligat qua fruatur. Annon sic habet scriptura: «Qui frumentum abscondit maledicetur in populis?» Absit ergo quod Petrus vel Jacobus frumentum favoris et operis, eum alteri expedit, alter obtegat sub aristis, quae sunt detractionum aculei et mendacii punctiones. Stillent ergo montes dulcedinem quasi tales fecerit nos Deus in nostris, [Page 366]

quia lac et mel colles fluent, si ex nobis quos caro proximat, carnis debitus vigor alat; salva tamen fide per omnia, ne quid voluntatis pereat, nec quid de jussis praetereat dominantis, contra quem si quis impetit, mundi et sanguinis necessitudo pellatur. Pro Deo, fili, quia Deo servies, nullus apud te, qui meus es, serviatur extraneus, ut patrem dedigneris judicem, si quis meum judicem offendat eorum. Super hiis inquam N. organum ad filium debuit esse patris.

n. 70

Si liber apud te superscribitur in quo sub paragraphis  
diligentium testimonia distinguuntur, ibi, ni fallor, praesul  
Capuanus sculpit ut inter alios praecipuus tituletur, etc.[Page 367]

Petrus de Vinea eidem archiepiscopo significat quod praesentavit  
exenia sua imperatori, confortando eum in aegritudine.  
Renitente consilio quorumdam ex nostris et nimiam  
zeli vestri perfectionem conscientiae scrupulis adscribente,  
factum est, pater, quod imperastis, quia et quantitatem  
missarum rerum circumspectio principis habuit et  
circumspectio qualitatem missionis attendit. Serenitatem  
etiam vultus ejus cum audivit archiepiscopum Capuanum  
[non adhuc ita desperatum], lator praesentium nuntius  
vester vidit. Et nichilominus affectum ipsius epistola  
vobis remissa testatur, quoniam ab intentione jubentis et  
verbis dictantis industria procul dubio non recessit. Vos  
igitur, reverende pater, qui dominis servire fideliter et  
placere devotis utiliter didicistis, placeatis etiam nobis  
vitae vestrae telam quam desperationis acutae novacula  
non praecidit, consuetis et debitis medicinae remedii  
confoventes. Nec sit vobis idcirco mori solarium, quod sit  
propter aegritudinis taedia longius vivere dolorosum. Me  
autem, si tamen patri morienti superero, vestris amicum  
in morte relinquitis quem vobis devotum revera habebatis  
in vita.[Page 368]

n. 72

Fredericus archiepiscopo Capuano confortando ipsum  
in infirmitate sua.  
Recepit nostra serenitas delegata tui viventis exenia  
gratius per te ipsum quam si legata tuae supremae voluntatis  
haec eadem testamentarius distributor aut quisvis  
haeres legitimus delegasset; ac in eis non tam rerum relictarum  
inspeximus quantitatem quam relinquentis affectum,  
et ipsius extremi judicii consideravimus qualitatem  
quod apud te, prout evidenter agnoscimus, conscientiae  
tuae fidelis integritas compulit et beneficiorum nostrorum  
grata memoria quam agentis in ultimis etiam spiritus  
retinebat, induxit. Et quum sicut audivimus, adhuc  
te lectus adversae valetudinis teneat, nec in totum evanuit  
spes salutis, ad resumendas convalescentiae vires,  
recepto praesenti hilariter nostrae confortationis antidoto,  
tanto debes instantius aspirare quanto salutem tuam  
nulla sicut accepimus desperatione praecisam, quam pluribus  
fructuosam et specialiter nostris fore sentis obsequiis  
opportunam.

n. 73

Magistro G. de Tocco Nicolaus de Rocca. – Quia virum  
virtute conspicuum alloquor, verba vellem dirigere condita  
si possem scientiae condimento, ut quod simplex  
scribentis affectio non valeret, demulcentibus saltem littera  
comitata suffragiis suavius insonnaret. Quod mihi[Page 369]

licet imperitia deneget, posse prohibeat et subrepat oblivio,  
index tamen voluntatis devotio cognoscatur. Cum  
igitur, sicut scire vos autumo, cunctaque constant, pater  
et domine, data sint homini, facta pro homine, subjecta  
homini, sibi concessa [est] desuper cunctis potentia dominandi,  
sed eum diversorum sit diversa sentire, diversis  
datur hominibus diversa fruendi rebus opinio: alteri qui  
quantumlibet divitiis affluat et honore grandescat, largitatis  
virtute succinctus, liberalitatis dexteram aperit,  
devotorum amicorumque precibus flexibilis, non elatus;  
alteri qui quanto magis habundet in opibus, parcitatis  
marcore perstrictus et cupiditatis caecae vitio circumplexus,  
nedum pulsantibus foris in atrio rebus opima  
caducibus (sic) ejus dextera reseretur, verumtamen nehinc  
inde congestae pecuniae congeries minuatur, in  
gazophilantium immo in possidentium infamiam, quinimo  
possessionis subjectae censui congregatae, torpore  
largitatis utendo gelidus et tepidis consummator abstinet  
ab utendis, rebus se, non sibi res penitus subjungendo;  
alteri qui quantumlibet paupertatis mole gravetur  
et quantumvis inopiae pondere comprimatur, beatae  
paupertatis fomentis innixus, non suspirans ad grandia,

sed circumvecta laetitiae paupertate contentus se divitem  
reputat, et quod parum superest sibi satis est. Cum rerum  
igitur fortuna mutabilis quae cui vult hilarem se ostendit,  
quem vult in nubile amplexatur, cuius in rota volubili  
quisque convolvitur, vobis per Dei gratiam feliciter  
direxerit, gressus vestros felicibus auspiciis sublimando,  
gaudeo satis et votivus affecto ut illius gratia a quo vobis  
collati honoris fastigia conferuntur, dierum longitudo  
per consequens feliciter evolvatur.[Page 370]

n. 74

Magistris P. de Vineis et G. de Tocco Nicolaus de Rocca.  
Etsi conceptum jam diutino temporis tractu propositum  
quod torpens hucusque silentii sera perstrinxit,  
imprudentiae rigor inficiat et negligentiae fere nota resperrgat,  
caute tamen purgatur inertia et improvidentiae  
sic livor abluitur quod, quanquam neglecta scribentis  
aviditas hactenus sibi quodammodo displicendo siluerit,  
salubrius tamen speravit et credit ut tacentis coloni  
qualitas cognosceretur a fructibus, quanquam experimento  
suorum improvisa relationis jactantia testaretur.  
Reputavi quoque decentius alienis conticens detegi labiis  
quam per arrogantiae vitiosae suffragium, quae cujuslibet  
orationis deturpat officium, supersticiosus vestris aspectibus  
attendendus (?). Ne vero reddar ulterius de mora  
culpabilis et de negligentia vitiosus, labores assiduos quibus  
corpus quotidie laccessitur et anima, tanquam fidelis  
et passivus interpres vestrae benignitatis auditui quae  
cunctorum causas diligenter examinat, aggredior relatus.  
In quibus quanquam malis ut (?) patiens ore sit doctior,  
eum omnis fere passio in actu sit potior quam sermone,  
quantum tamen sermoni licuerit, lectio vobis  
epistolae praesentis exponat. Fuit itaque, domine, quod  
postquam officium registrandi quod bajuli sibi crediti  
totum imbibit animum, velut quaedam me species servitus,[Page 371]

implicuit, quasi factus corpus unum eum calamo  
et persona eadem eum quaterno; sic sudavi frequenter et  
alxi, sic me labor continuus indesinenter oppressit, prout  
datus mihi testis illati martyrii quaternio profitetur, quod  
insufficientia de caetero pro me satis sufficienter allegat  
ac praeter personalis afflictionis angustias, expensarum  
suffragium quod est saepe laboriosis ossibus consolationis  
emplastrum, sicut vestram non dubito latere notitiam,  
laboribus non respondet. Et quod est omni labore crudelius,  
juvenilis vigor ingenii quod quales quales studendi  
primitias de lactantis jam ubere suixerat, dum exercitantis  
deberet pasci cibariis, in manualem, proh dolor! operam  
confluii quicquid sibi debebat exercitationis afferri. Nec  
tam laboriosi jugo martyrii collum voluntarius supposuisse  
et humeros, nisi prius passionis instantia melioris  
boni praesagia promisisset. Sed eum habeat spes improba  
proprium ut nunquam extimet satis esse quod  
recepit, semper meus in statera fiduciae suspensus [est]  
animus ut aliquam beneficii fecundioris particulam de  
tanti puto laboris subjectus exhauriat et devotus attingat.  
Imploratur ergo vestrae benignitatis officium ut eum  
anni jam circulum ei ultra, si verum fatear, in labore  
registrandi consumpserim et consumi jam fere nequeat  
ultra conditio, vel redditum si placeat licentietis ad propria,  
vel in domo summi principis in qua mansiones  
multae sunt, locum ubi gratius et fructuosius serviam  
praefigatis. Cum beneficiendi quibuslibet regnet in pectore  
vestro potentia, dum reseret nemo quod clauditis  
et quod reseratis per consequens nemo claudat, regnet  
[quoque] scientia dum, si me non fallat opinio, scire vobis  
datum est quicquid utilitatis sub pallio solis absconditur  
praeter septem signacula forsitan clausi libri; regnet et[Page 372]

debitum, dum si quidquid virtutis habuerit in vos mater  
natura jam confluit, ex necessitate quadam in alios effunditis  
quod habetis. Ut currus igitur currat aequalis quem  
perficit in rotarum parelitatem quaternitas, in vobis  
quaeso nascatur et alia voluntas utinam quasi grata.

n. 75

Responsiva magistri Petri de Vineis ad Nicolaum de Rocca.  
Inter tot excelsa virorum ingenia quos in aula Cesarea  
fecunda rhetoricae diutius ubera lactaverunt, extenderis  
manum ad aratrum, Nicolae rhetor, nobis occurris.  
Incognitus, sera pudoris et verecundiae clavibus obseratus,  
vocis articulo prorumpis interdum, et tanquam ex  
vase tenero gutta restagnans latere interius plenitudinem  
profitetur. Ob quam ne foras eruptuet et ne liquor  
in vacuum dispergatur, verecundus vasa receptionis efflagitas  
in quae quicquid eductum exterius ingeniosus acceperis,  
collectum interius operosus infundas. Agrum  
matura iam segete coopertum falcibus nostris exponis,  
promptam beatitudinem renovans antiquorum, superveniente  
socordia temporum nostrorum obductam. Quae  
dum petitionem publicam publicorum bonorum virtuosam  
potius quam ambitiosam petentibus reputabat, dum  
ex multis competitoribus magis ydoneo bravium concedebat,  
virtutes latere diutius et insufficientias abtegi non  
sinebat; ad certamen huismodi certatores certa fiducia  
producebat, virtus armabat interior ut exterioris gloriae  
praeconium flagitarent, quando vel factum sine lite consilium  
vel obtentam de lite victoriam centumvirale judicium  
decernebat. Pellem igitur veterem nova clamide  
consuens ac velut armis antiquis novus athleta prosiliens,[Page 373]

novum officium vetustae consuetudinis auctoritate deposcis,  
fieri desideras in augusto palatio de registratore  
magister notarius vel ut typice dicatur, urbanus de laboratore  
colonus. Ad quod fiducialiter expetendum, eo  
saltem accedis audacior quo de voti consummatione securior,  
dum nec praesentes competitores invenias nec  
expectes, non quod de meritorum suffragio forte diffiderent  
concurrentes, sed quia cavere titulo potius eligunt  
quam ejus affligi dispendiis et laboribus fatigari. Sicque  
grata simplicis honoris habuit quae duplicitis oneris gravitate  
pensantur. Haec tamen, ut verum fatear, a iam receptis  
ad gratiam et ad epistolas regias evocatis tantum  
accipis; quantumcumque de talibus inusitent, quantumcumque  
a plena parapside colla detorqueant, nunquam  
aut raro mensam propositionis effugient nec abhominata  
fastidiis fercula derelinquent. Qui si forsan hoc faciunt  
ut simulate per fraudem abominationis ingenio te retrahant  
appetentes, tu nullo modo stupefactus abscedas,  
timidus pedem non retrahas, sed ad ostium humeros  
virtuosus impingas. Et ut pulsanti tibi paterfamilias noster  
et dominus aperiri praecipiat, Petrus tuus labiorum  
claves, intercessionis benivolae preces, sufficientiae tuae  
benignus interpres, cum se locus et tempus ingesserint,  
favorabiliter domino praesentabit, velut qui teste supremo  
judice, quoslibet hujusmodi vestes nuptiales habentes  
libenter ad nuptias introduco, nullius unquam consortis  
impatiens, quin potius omnium avidus et ad vineae tam  
largae vindemiam me prorsus insufficientissimum reputans,  
mecum associare quam plurimos ambiam collectores.[Page 374]

n. 76

Mittitur acephala cedula Nicola de Rocca per Petrum de Vinea.  
Credo quod labores asperos homo facilius tolerat quos  
mollire potest colloquiis amicorum. Propter quod ego  
judicariae potestatis onus tam imbecillitate corporis  
quam officii necessitate difficile sociorum confabulationibus  
lenire desiderans, te, carissime, deprecor cum quo  
familiarior mihi potest esse collatio, ut litterarum tuarum  
solatiis poenas meas frequenter allevies, sciturus  
quod tibi etiam verborum lenimenta proficiunt qui laborum  
similia pateris detrimenta.

n. 77

Respondet Nicolaus de Rocca magistro Petro de Vinea.  
Primis nudatis interulis occurrit oratorius scribentis  
affectibus hiis diebus sub dubietate libelliis, qui nec  
personam expressim mittentis intitulans nec receptoris  
essentiam subfigurans judicarii ritus ornamento redoluit,  
dum labores judiciarios suasione molliri dictaminis  
exquisivit. Errasse si quidem videbatur ille succinctus  
interpres in invium, dum ad me dyametrum dirigens

lactis indicia de petrae soliditate mungebat. Sed bajulantis nota conditio ad ipsius receptionem paulisper manum recipientis provocavit erroneam, et conceptae dubietatis articulum qualis qualis fidei specie coloravit. Sane, si verum fatear nec sit mihi missor incognitus, unde dominus invitari debuerat inde famulus redditur invitatus,[Page 375]

unde lenta procurrisse credebat epistola inde proventa claudicans nomen induit responsalis. Quae devocationis exenia sub gratiarum amictu reportans, ut sit formae relatrix in reditu quam inter nos ad mutuae collationis applausus edere placet, in posterum specialis mittitur procuratrix.

n. 78

Nicolao de Rocca Petrus de Vinea

Quod informis epistola nomen non signavit opificis, quod quaerendum expressius non notavit amicum, causa fuit ne in scriptione domini pomposa procederet et quae situm socium intitulationis ope cognosceret quem experti ducis indicio facilius poterat invenire. Quae si peregrina, si devia sine paronymphi suffragio tua penetralia quaevisisset, ad edendum magistri vocabulum nullatenus debuisset urgeri. Quae cum se nuntiam jus dicentis assereret, nisi multa receptoris intervenisset ignavia, satis assumi poterat quod is ex judicibus tecum ludere cooperat qui iocis similibus configere consuevit. Verumtamen quocumque modo vel latoris notitia vel stylo dictaminis cognoveris dictatorem, tua fecunda responsio sine suffragatoris auxilio tui praestantis ingenii detegit ubertatem.

Propter quod non videor, ut dixisti, in te lac, de lapide stolido mungere, sed de philosophiae plenis uberibus lactea pocula prudenter haurire. Scio enim quod qui cotidie tanta exhibes, qui talia indesinenter effundis, nisi scientiae opibus affluenter afflueres, iam tua liberalitas defecisset. Eya ergo, frater, scribas assidue nec te taedeat de thesauro isto tales margaritas educere, cum aperte coniicias quod tua opulentia opulentior redditur largitate. Denique oratio tua laudes suas quasi prouenta non perdidit, immo eo laudabilior est effecta quo politis diuturnitate sermonibus eleganter et provide improvisa respondit.[Page 376]

n. 79

Respondet Nicolaus magistro Petro de Vinea.

In sororis praemissae suffragium praegnans coloribus excusatrix venit epistola quam misistis. Quae tanquam efficientis causae munita praesidiis ad obtinendam de lite victoriam, multas secum et varias evidenter rationis allegationes adduxit. In cuius conflictu sic vinci totaliter reputans, ad vindictam inermis suppliciter dictantis postulat uterus ut quocienscumque de calamo tenui nudam ad vos et rudem pariet paronympham, linguae vestrae suavitas quae necessarios habet in talibus exornationis amictus, nudum operiat, incoctum quaeso reducat ad fabricam, scabrositates elimet et emendationis stilo poliat impolitum. Est enim quae vires mihi modicas minorat ingenii, laboris assidui taedium, causa praecipua quae temerariae validitate potentiae nedum ornari quod dicitur impediti sed dictionem etiam simplicem interdicit, dum operantis humeris continua fatigazione fragilibus tam aspero jugo suppositis, vix respirationis hora conceditur, vix cogitationi tempus ydoneum nisi quod a furtivo praedone subripitur, operario relaxatur. Sed tamquam ignis delatus in gremio, quicquid interius forsitan repentine colligitur, manualis curae perplexitas ebit, quicquid temptatio passim pensantis eruptuat, de quaternionis cura sollicitudo continua, quem mihi rerum eventus poenitatis sociavit interpretem, ambitiosa consumit.

n. 80

Nicolao Petrus.

Quoscumque triumphos de duello dictaminis strenuus praestoleris athleta, ego tamen etsi fortuna consentiat, nullam quaero de amicabili dimicatione victoriam, ex qua certando solummodo reddatur pugil lingua fecundior,

quia dum deficeret hostis obstaculum, virtus exercitio  
valida otioso tripudio perderetur. Sequitur ergo ut adversario  
tuo non cedendo, sed configendo complaceas,  
qui tunc succubuisse se crederet cum obicem non haberet.  
Quod autem ludendo rogitas ut tuae orationis verba  
discutiens incompta comam et condiam incondita, facerem  
utique quod hortaris nisi quod vereor ne dum cultus  
adderetur incultior et pro insipido insipidior poneretur,  
corrigenda correctio ludibiosa ludibriis haberetur. Tua  
igitur lima tibi soli sufficiat, quae nedum tui operis novit  
expurgare rubiginem, sed aliorum sordes et sordida didicit  
elimare. Praeterea laboris incommoda rescribens  
conquereris quibus sic dicis ligatas manus ad calatum  
ut etiam momento non audeas ad dictamen animos relaxare.  
Amice, confiteor quod libertas ingenii dum servili  
servitio premitur, nec pensat loqui nec potest vera  
discernere, et si quando forsitan se familiari furto subripiens  
ad scribendum, aliqua reperit de incumbentis  
oneris expeditione sollicita, tolerabilius eligit inculta depromere  
quam necessarii cessatione servitii se quaestionibus  
immiscere. Verumtamen, frater, in te ista non  
video; immo si te tanti operis opinor opificem, congruentius  
convenit opinari ut vel divinum geras ingenium vel  
nullis perplexitatibus praepediatur humanum. Etenim  
dum tantae elegantiae dictamen inspicitur, dictatoris  
profunda profunditas aut crederetur superum fulta suffragiis  
aut nullis occupationibus impedita. Igitur cum  
replicationibus istis tua sufficienter elidatur exceptio,  
si non allegatur ydonior, ab incepto conflictu non poteris  
excusari.

n. 81

Respondet Nicolaus de Rocca eidem Petro de Vinea.  
Etsi victoriae titulos, prout replicantis industria cauta  
subintulit, in responsalis pavidae serie quam paupere[Page 378]

veste contexerat, excipientis stupor inseruit, nunquam  
tamen victoriosis extolli suffragiis in altercationis coptae  
conflictibus animus rescribere superbus appetit, nec per  
cessionis ingratae remedium remissus configere desperavit;  
sed tanto robustius insistere credidi quanto sapidius  
mihi cedit ad gratiam ejus gratis invenisse colloquium,  
cujus vernantis linguae suasio tam nobiles  
suadelas eruptuat, cuius intuitus ad tam familiaris collationis  
retransitiva commercia precis multiplicis debuit  
pretio invitari. Illud verumtamen vindictae fastigium  
quod traxit ad consequentiam legentis auctoritas, si dictantis  
conscientia litteram sociasset, ad coemptum tantummodo  
salutationis defalcatae litigium si lectoris placuisse  
aspectibus, potuit retorqueri. Nec peccavit sane, si verum  
fateor, supplicis oratoris intentio, dum ad orationis informis  
reformanda mysteria limae vestrae quaesivit auxilium  
et vestrae conformitatis perfectio petebatur. Solet  
enim raro vel nunquam rigor opificis dampnare quod  
edidit. Solet et rarius per se viciosae dictionis enormitas  
accusare patronum; sed cum sagacius cujuslibet nota  
discriminis alienae mordacitatis impulsibus arguatur,  
elegi decentius omne quod scribitur vestrae correctionis  
stimulo relinquendum, quod superstitiosa praesertim perplexitas  
implicat, quod cura continua laborantis infestat.  
Super eo denique quo proponentis elidebatur exceptio  
prioris adhuc clypei munita repagulo, sic vestrae replicationis  
argumenta refellit quod licet verborum acies  
quae per subreptionem frequenter tenuis archa diffibulat,  
quae minus bene Cyclopis fabrica decoquit, aliquid  
vobis ut dicitis saporis adducat, facit hoc utique, si me  
non fallat opinio, discretionis vestrae benignitas quae  
cantica sibi displicere non patitur, dum nexus dilectionis  
amplectitur citharoedum. Propter quod ista sufficiat triplicata  
defensio, donec successivis insultibus impugnetur.[Page 379]

n. 82

Nicolao de Rocca Petrus de Vinea.  
Etsi non sit de more pugnantium indefessos humeros

congregationis appetere, ego tamen in hac palaestra dictaminis  
optavi semper hostis audaciam et collectationis instantiam  
inflexibilem requisivi, quum ut opinor, quocumque  
fugientis terga persequitur aut non rebellantem  
percutit inimicum, turpia bella congrederit et ignominiosa  
victoria gloriatur. Propter quod gratulor utique  
quod dimicatio contrarii militis quae videbatur imbecillitate  
nescio utrum simulata lentescere, collectis animis  
fortes et agiles vires exercitat; etiam bellator sic coepit  
bellicosus irrumpere ut qualiter pridie credidi debilitate  
succumbere, hodie videam sublimitate potentiae triumphare.  
Restat igitur [ut] in expertum militem insilire metuat  
tyronis improbitas, cum quo configere strenuum,  
cum quo contendere virtuosum. A quo si prosterni forte  
contingeret, nulla casus infamia, dum gigantis immensitas  
vinceret hominem et formicam tenuem moles oppimeret  
elephantis. Illud verumtamen quod frequens  
oppugnationis oratio flagitat, ut mea cote enses et gladios  
acuam a quibus vulnera sentio, de quibus exitium reformido,  
bellica jura rejiciunt quae nimis grave disjudicant  
ut aliquis ad suae victoriae gloriam de inimico suffragia  
debeat postulare, et dum fidem inter hostes esse non imperant,  
fraudem et facinus inter eos non prohibent inveniri.  
Igitur cessen in posterum perniciosa petitio, ne si fortassis  
pugil dolo pugilis sentiret incommode, dum non  
posset de imminentि perfidia conqueri, fidem suam supervacuo  
causaretur. Denique, frater, ut ex litterarum fine  
conjicias quod ad te principia diriguntur, omni adulatione[Page 380]

deposita, noveris quod mihi tuae facundiae dulciloquia  
placuerunt, cum qua conferre placet, cum qua disceptare  
delectat; sciturus quia, si grave non tuleris quod lyram  
tuam sribentis penna sollicitet, nulla negotii poterit intervenire  
peplexitas quae me a pulsatione tam utili et  
responsione tam congrua valeat avocare.

n. 83

Respondet Nicolaus de Rocca eidem Petro de Vinea.  
Per strenui bellatoris industriam verborum gracilis  
reciprocata commixtio legentis affectibus quem hostem  
intitulat, in sui esse satius placere non potuit. Sed in hoc  
tantisper caute me pepugit, in hoe sub recti seu potius ridiculi  
specie materiali desperationis adduxit quod acum  
inter ferramenta commiscuit et me quasi pulicem ad  
animalia grandia comparavit, novas mihi potentiae plumas  
attribuens et recentis notas noviter sublimitatis impingens,  
qui teste styli suffragio nec conceptum in dimicacione  
mutavi propositum, nec variam, Deus videat, ex  
accidentis cujuslibet involucro voluntatem. Ex hoc siquidem  
cauta conjicitur dimicantis auctoritas ut dum  
praeter bellicae legis auspicia, hostis insignia tot praeconiis  
extulit, dum oppugnationis obstaculum tot laudibus  
hypocritis trutinavit, eo magis promptuarium laudati  
tepesceret quo confidentius interioris hominis pensato  
judicio magis aperte diffideret, dum nichil sibi de contingentibus  
invenit nec appendicularum aliquam sibi praedicat  
veritatem. Dixistis praeterea non esse quaerendum  
ab hoste suffragium. Domine, fateor quod habet manualis  
conflictus regula proprium ut hostilem instantiam  
hasta bellicantis exaggeret et fraude dolo quo praevallet  
circumveniat inimicum. Sed linguae loquacitas utilis  
in aenigmate jurgii quod orationis blandae suasio[Page 381]

reddit audacius, tanquam ferrum quod ferri polituris  
acuitur, quanto praedignius purgari se cogitat, tanto  
pignoris emolumenta fecundioris acquirit. Ne igitur obvius  
reddar et displicens unde placere credidi, forsan  
insipidus, illa repetita petitio sub silentii clave recluditur,  
oblatae pennae vestrae mysterio tanto recipiendo  
solennius quanto quae sine cithara luderet, discordiam  
lyrae modificans gratiorem efficiet melodiam.

n. 84

Magistro P. Nicolaus de Rocca.  
Gavisus sum satis in lectione litterarum vestrarum,  
dum non nisi amicabile verbum placidis affectibus offerebat.  
Nescio tamen si in corde et corde (sic) loquiti fueritis,

cum consanguinei vestri quorum spes dependet a  
vobis, aliud faciant quam scripsistis. Et sic dum verbis  
vestris eorum sunt facta difformia vel expresse contraria,  
quid causam hujus varietatis adduxerit infra pectus  
vestrum debita revolutione pensate. Ego tamen qui amicus  
amicis et vobis praecipue necessaria lege dilectionis  
astringor, quid super hoc fieri possit et debeat provisioni  
vestrae committo. Nec tamen credatis propterea sic abbreviatum  
fore me viribus ut facultas mihi tales propulsandi  
molestias denegetur. Super negotio autem fratris  
mei dirigi litteras quas vestra dilectio persuasi, praesentium  
negotiorum et temporis qualitas diligenter considerata[Page 382]

non patitur. Propter quod, amice carissime, vos  
qui super hoc studium procurementis apponitis, omnem  
sollicitudinem principiis adhibete ut juxta verbum vestrum  
in quo jam rete laxavi, desiderata negotii consummatio videatur.

n. 85

Magistro Petro Nicolaus de Rocca.

Si arbitrantis non fallatur opinio et opinantis arbitrium  
non fraudetur, inter omnia quae divina potentia  
doctrinae vestrae gratificari posset, nil profecto vobis  
jocundius extimo quam si vestrae fecunditatis gremium  
novae prolixi foetum multiplicet ad hoc ut scientiae  
poculis satiando famelicos, qui velut filii a vestris  
dependent uberibus, intendatis palmites vestrae generosae  
propaginis in scolares. Haec sunt namque docentis  
ad discipulum certissima pignora, dum plantat in  
alium quod in se novit esse plantatum. Nam licet  
vitae spiraculum pereat, non tamen deperit in doctrina;  
licet ut homo desinat, non tamen desinit ut magister.  
Interest ergo vestra cujus uterus semper genuit indefessus  
et parere novos filios non desistit, nostra fovere  
plantamina et plantas si quae succreverint irrigare. Inter  
quos tanquam minimus, qui vester sum totus, cum in  
florum et frondium productione prodierim, ut fructus  
pariam tanto fortius moveri debet sinus vestrae prudentiae  
quanto felicius exaltantur famae vestrae praeconia  
si novum constitutis plantatorem. Cum igitur in proprii  
natalis partibus, instinctu quorumdam scolarium,  
in arte dictaminis proposuerim aliquid implicitum explicare  
et aestivi temporis dies qui mihi ad requiem post  
quotidianos labores hyemis conceduntur, ad communem  
utilitatem studentium consummare, per vestrae peto discretionis  
gratiam a coetu doctorum omnium mihi licentiam  
impetrari ut, licet particularia studia sint penitus[Page 383]

interdicta, mihi ad gratiam cum tempus nunc instet,  
generalis studii docendi remedium concedatur.

n. 86

... Cognato Nicolaus de Rocca clericus.

Scripsi tibi aliquando et consequenter oretenus replicavi  
ut illi puellae de Rocca G. nomine conferres ad victimum  
aliquid, ne ego saltem apud Dominum ex patrato  
commercio demererer. Sed tu verbum meum taliter  
osservasti ut nec eam etiam respexeris, potum aquae  
sibi in auxilium exhibendo. Nunc autem licet ut audio  
peperit puerum, tu tamen circa eam et natum ejus  
parcitatem solitam non omittis. Profecto deberet te conscientiae  
tuae pudor arguere super hiis quae ex tanta  
avaritia commisisti, cum debuisses de bonis propriis  
illi amore mei aliquid erogare, etiam si de bonis meis  
aliquid non haberet. Videas ergo qualiter circa id honori  
meo hucusque detuleris, cum debuisses puerum  
ipsum extra villam Sancti... ad tegendam meam  
infamiam mittere nutriendum, ut notam criminis evitarem.  
Volo igitur ut si de honore meo est aliqua tibi  
cura, eidem G. pro se et filio necessaria de bonis meis  
faciens ministrari, puerum ipsum sicut tibi videbitur extra  
dictum locum in aliquo remoto loco caute facias enutrir,  
ita quod saltem affectum ad me dirigere videaris.[Page 384]

n. 87

Episcopo Pactensi Nicolaus de Rocca.

Multiplici vobis, domine, ratione congaudeo quod in

paradiso deliciarum et loco pascuae fortunae vos celebris felicitas collocavit. Gaudeo quippe vos Ligurum accidentia subito non timere tonitrua. Gaudeo viarum discriminosis eventibus et hospitorum non minus dubiis cessisse periculis. Gaudeo vos illam virtutem, securitatis alumpnam, levius verbo quam facto portabilem, rerum sophisticam, melius ori quam corpori consonam, qua jam nos omnes ditatos inspicimus, corporalem inopiam non sentire. Gaudeo sospites adesse vos corpore ut sistat saltem personae secundae suffragium cui passiones absentium familiari quodammodo conquestione monstrentur. Gaudeo vos abesse loco, non animo, manifesta ratione praesumens quod exaudibilis utinam in ore vestro frequentetur oratio, solis nostri circuitum metentis jam bina temporum seu fastidita potius revolutione a Liguria ad hemispherium fertilis et redolentis Apuliae crebris intercessionibus vocativa. Haec igitur anxius potius recitare quam scribere, eatenus me vobis offero, domine, quatenus ad nutum recipere me placeat et habere. Cujus si [Page 385]

quidem conditiones et statum qualibet scriptum lucidius vobis lator praesentium referet viva voce. Unum verumtamen scriptura non praeterit quod si locus sit conjecturis in talibus, jam pedem in streugam ereximus, ad lares patios nisi fortunae protervitas consueta, quod absit, impedimenta trajiciat, celeriter reddituri.

n. 88

Domino magistro justiciario Nicolaus de Rocca.  
Moram meam quam plus debito famulorum hucusque defectus ingesserat, utinam ego paratus exciperem subito fortunae fallacia quae in eodem neminem patitur esse situ. Quamvis post domini nostri casum me in plerisque tantisper ex hujus temporis tempestate pupugerit, nuper tamen graviora mihi praeter personae periculum jacula jactare non potuit. Dum enim, carissime domine, frater meus... qui nichil mihi de bonis suis elapso jam longo tempore nolens vel impotens destinarat, nunc majorem partem suorum quaestuum per mare transmitteret, quaesita longi temporis brevis hora consumpsit. Veniens namque nuntius ejus in quadam trieride Gaietana quae Gaietanos quamplures et dominum etiam de... ferebat, apud Plumbinum ubi tanquam in terra fidelium invenire juvamina confidebat, pecunia et rebus suis aliis usque ad ultimum quadrantem per... Pisanos extitit spoliatus. Ex quo licet passi sunt plures Gaietani dispendium et sic posset esse miseris solatium socios habere poenarum, ego tamen dampnum meum solus in camera defleo et fortunae turbinem quae me sic crudeliter perculit, non sine cordis laceratione deploro. Nec doleo dampnum simpliciter, carissime domine, cum si conditionem meam infra meipsum commetior, ad victum mihi panis et aqua sufficeret, sed considero quod deficiente nunc mihi tempore prospero quod me non multum divitem dereliquit, auxilium istud in quo aliquantulum cooperam [Page 386]

confidissem defecit. Considero etiam quod frater meus qui tenaces semper habuit manus ad munera, vel tepebit penitus in mittendo de cetero, vel religionis alicujus assumet habitum ex casus hujusmodi crudelitate turbatus. Ego vero Gaietam propterea bis accessi ut per Gaietanos qui tanquam dampni participes indemnitatis mihi remedium licet frustra promittunt, super hiis possem consilium invenire. Et idcirco, carissime domine, personam vestram quae mihi est non solum in prosperitate solatium, sed in adversis etiam delectamen, visurus venire non potui. Scribo vobis tamen haec omnia tanquam illi cui volo, debedo et teneor omnia negotia propalare. Vos itaque, domine, prosperum vestrum statum et si redire ad partes istas in proximo vel in Arpino morari diutius proponatis, mihi vestro dignemini nunciare si placet.

n. 89

Domino G. de Cusentia Nicolaus de Rocca.  
Quod post discessum vestrum labore contractos, frigoris algore torpentes, nivis gelidae candore conspersos et jejunii pressura famelicos sub votiva tecta Venusii placidus

vos hospes induxit et sufficienter ut scribitis articulis  
singulis per opposita satisfecit, satis laetanter id  
audio et residentis moram propterea magis laudo. Sane  
si amici fuisset et socii consilio creditum, potuisset forsitan  
actionum gravis illa congeries, quantumvis hospitii  
reconciliata successu, vel praecaveri totaliter vel in melius  
circumscribi, ut expectatus tantisper eventus quem  
quarumdam dierum subsequentia peperisset, viam veritatis  
instrueret et auram efficeret itinerantibus gratiorem.  
Sed istud placuit inchoare viagium, temptare nives  
et frigoris frangere caumata, sed potius eis frangi. Cur  
non etiam placuit ista praecidere et in alio quidem vestro,  
quod erat quasi viatoribus obvium, hospitio declinare[Page 387]

ut saltem vobis fugator Boreae fieret Teramum (?)  
Ibi enim receptaculum competens defendens ab ymbribus,  
ibi grata requies post laborem, lignorum copia  
contra frigus, refectionis mensa dapifera contra famem,  
Bacchi diversa genera genitiva laeticiae et quaevis optativa  
ventricolis gratanter vobis obsequi potuissent. Sed  
forsitan hoc evenit ut contrariorum disciplina sit eadem,  
succendentibus prosperis in quibus vos illa forsitan meminisse  
juvabit; judicetis verius de adversis et discatis  
in posterum amicorum consiliis dare fidem. Ego quidem  
reditum vestrum proximum ut et felicem Fogiae votivus  
expecto, vos hylariter recepturus ibidem et in cellam  
vinarium inducturus, ubi a dextris et a sinistris vina tripudiant,  
quae bibentibus decies repetita placebunt; et si  
quicquam de materia frigoris montani tuleritis, contra  
brumae cuiuslibet et nivis obstaculum probabiliter triumphabunt.

n. 90

Domino G. de Cusentia Nicolaus de Rocca.  
Ut loquar ad litteram, satis me pavit littera quam misistis.  
Ex cuius sapore dulcifluo fructus exuberans mentem  
erexit, spem fovit, fiduciam roboravit. Scitis enim  
quod quamvis domestica statio grata sit animo, si temporis  
tamen qualitas et conquassationis humanae conflictus  
qui non nisi superum favore contunditur, attente  
pensantur, nunquam me sic segnities familiaris involveret,  
nunquam uxorius demulceret amplexus aut statuti  
itineris otia delectarent ut continue delectarer in montibus,  
nisi de persona vestra confiderem et in prosperitatis  
vestrae successibus respirarem. In hoc etiam confidentiae  
nutrimento non sic eligo quiete dissolvi ut domini nostri  
a quo salus omnium et vita dependent, servitia rejecisse  
conspiciar et a servitiis aestimer ut mancus abjectus.  
Propter quod vobis confidenter insinuo quod licet mihi[Page 388]

dudum mandatum dominicum misissetis ut ad comitem  
... me transferens cum eo usque ad felicem reditum  
vestrum de Sicilia remanerem, quia tamen processu  
vestro sicut Deo placuerit revocato et eodem comite ad  
domini praesentiam accersito, videtur jam ipsius mandati  
causa cessasse, quid mihi sit agendum in antea mihi  
quaeso per litteras injungatis.

n. 91

Domino G. de Cusentia Nicolaus de Rocca.  
Saepe vobis intentionem meam per litteras indicandam  
colorum appositione depingerem et accurata qua possem  
operis interjectione sulcarem, ut forsan accederet mittentis  
devotio comparata favoris dignitate placentior, et  
quas recipientis in pectore benivolentiae remansisse non  
ambigo scintillulas, attentior excitaret. Sed quo magis  
confido vel diligo, eo potius dubitans pertimesco ne sensus  
vester distractus ad varia, dum majorum rerum turba  
comprimitur et occupationum ardua congressione calcatur,  
curas negligat carentes instantia et litteras quae  
necessitatem non indicant, oculis praetereat semiclausis.  
Nec mirum fateor, cum inter horas singulas quas reverenda  
vobis domini praesentia subripit et dilationis impatiens  
jussionum exequitio festina subducit, quas tolerabilis  
amicorum importunitas admit et clamantis in  
atrio populi petitio tumultuosa conquassat, quas etiam  
inspicio vicissim et utinam pro meritis compensando  
notariorum vestrorum opera, frequenter expenditis et

in ipsorum expeditionibus exercetis, sic spiritus vester  
ut credo praesentium perplexitate contunditur quod nisi  
humeros haberetis suetos ad sarcinam, ad signationem  
absentium minus sufficiens redderetur. Nam si forsitan,  
ut verbis alludam, de tot negotiis aliquid otii prudenter  
excerpitis, illud in re militari de cetero quae parum  
habet commune cum litteris, vos expedit curiose consumere  
et de armorum judicio, cum tyronis in vobis jam  
nomen effluxerit, non solum verbo sed facto tractare.  
Confisus tamen absens ego quantumlibet dum maxime  
de amicitiae circumferentiis agitis, coram vobis semper  
ymaginarie reddere me praesentem, ad vos latorem praesentum  
fiduciose transmitto, ut quid mihi sit agendum  
in antea mihi quaeso consiliariter rescribatis.

n. 92

Eorum fratri et amico karissimo... illi duo connomii Nicolaus  
de Rocca et Nicolaus de Sancto P. salutem quam amor  
in fratribus et caritas exigit in amicis. Per Nicolaum de  
Rocca.

Votum vestrum sub pulcra verborum seu placida coloratione  
transmissum exauditionis ad gratiam libenter  
admisimus, velut qui cordis vobis et nominis idempsitate  
conformes in nobis ipsis retinere confidimus quod alter  
in alterum mutua receptione transfundit, nec excitari  
quaesivimus adjectione calcarium, ubi de vestra non minus  
quam propria melioratione solliciti tanquam votivi  
nobiscum habere contiguum quem animo diligebamus  
absentem, priusquam nobis in lucem vestra petitio prodiisset,  
effectum sibi dedimus quem quaerebat. Nondum  
enim pagina quam misistis legationis suae metas attigerat,  
cum adventu vestro ad curiam Caesaris per nostram  
instantiam procurato, vocationis ad vos litterae quas

[Page 390]  
jam recepisse vos credimus emanarant, ut inter quos  
binarius numerus imperfectus quodammodo videbatur,  
per aggregationem tertii quem ardenter appetimus, extremitates  
imperfecti cujuslibet trinitas collecta suaviter  
restauraret. Sed dubitamus et merito ne per celerem  
expeditionem negotii res desiderata viluerit, dum quem  
anxium desiderio pendente cognovimus, nunc segnem et  
tepidum consummato sentimus. Solet enim inter infantes  
vel amatores aliquando qui ipsa qualitate negotii juvenescunt,  
vota fortius fervere si pendeant et tanto cupidis  
animis viliora se reddere quanto maturiora concurrunt.  
Vos autem, carissime frater et socio, quem desideria concepta  
trans (?) juvenem metiri debere seu posse confidimus,  
cum vobis ad januam res petita pervenit, ipsam  
libenter excipite, dampnate desidiam, moras abrumpite,  
et cum paratis semper differre nocuit, spes pulcra vos  
foveat quod tam debile, tam leve principium fortuna celebrior  
subsequetur.

n. 93

Honoris coronantis et gloriae sub diversis titulis nomen  
habentibus, universis in sortem domini evocatis, N. de  
Rocka nichil ad praesens petere quam quod petitur exaudiri.  
Populus gentium variis circumplexus eventibus de  
salutis regula turbata conqueritur et turbati signi discordiam  
condolet in signato, dum salutifera virtus in

[Page 391]  
Salvo retrograda, rescripto non obtento laetitiae, legitimo  
mentita colono, per peregrinos exulat incolas, et  
sic ejus manus jam tepida, nominis mentiente vocabulo,  
contrarietatem adjicit in subjecto. Etenim pro oratione  
singultuosa deprimitur in magistro Salvo pacis essentia;  
humanorum distemperante temperie et accidentium superveniente  
rubigine, substantialis formae qualitas alteratur.  
Deus nunquam voluit nec velle debuit hujus salutis  
praesumptivae diem discessus praedicere populo, ut ad  
minus contra valitudinis succedentis audaciam quae in  
tam commune surgit exitium, sufficientis opinionis obstaculo  
et defensionis praesidio muniretur. Ejus namque  
compassionis brachium capita multorum amplectitur,  
dum mater ipsa fidelitas in tam fideli filio paciente turbatur,

humilitas condolet, eclipsatur honestas et virtus  
eloquentiae quae ipso vivente vivebat, nostro patitur in  
infirmo et in solo prostermitur. Nam per eum sedebat in  
solio triumphata, ac praeter impedimenta clandestina  
virtutum cancellariae chorus nobilis et decorus cuius  
pars non erat exigua, per ejus absentiam cancello tenacissimo  
dissoluto imperfectam superficiem repraesentat.  
A cuius tanquam a patris plenis lacte uberibus licet omnes,  
praecipue tamen quos notae titulus superscribit, tanquam  
dilecti filii dependentes, turbantur ex merito, qui  
velut fons irriguis Eufraten aquas dulcedinis fundens in  
gentibus, dejectum oratione Tullium suae linguae mysterio  
reformabat. Ad ejus igitur primaevae restitutionis  
ymaginem, cum cumulatae preces precantis affectum exprimant  
et venerabili instantia emollient animum concedentis,  
una quaeso mecum, cui tanto subest materia  
dolendi prolixior quanto de suaे sospitatis adventu fecundioris  
gratiae fiducia separetur, ad sedentis in throno[Page 392]

potentiam intercessores assistite, ut ubi alternae conditionis  
disparitas et dissona vocis emissio affectum suspenderet  
imperantis et executionem petitionis forsitan impediret,  
oratione multiplici divinam movente clementiam  
et vocum congerie summam gratiam excitante, pugnet  
et stimulet salutem circumvagam, et velocius terminans  
cursum suum [ad] metam perveniat et medicinam adjiciat  
salutarem, per quam infirma roboret membra patris et  
expectantium filiorum votivis successibus vota restauret.

n. 94

Epistola de commendatione dictaminis cujusdam (?) magistri.  
Viros fortes et agiles solet tantummodo petrosa Rocca  
mittere, et ut nomina rebus consonent, montani generant  
montuosos, cum grossa substantia non nisi artificialiter  
transeat in subtilem. Sed habes tu, frater, unde patriae  
vicium redimas, dum animum ornasti moribus; solus tu  
habes in dictando quod totus Roccanus populus nullis  
temporibus invenerunt. Unum tamen in te reprehendit  
amicus quod vis scientiam in pectore claudere, quae persaepe  
ruptis marginibus tanquam de pleno gurgite supervacua  
licet localiter emanat. Aperi igitur thesauros  
tuos amicis et sociis, et die nova quae placeant; scribe  
quae redoleant et informent, ut bonum in tanto commercio  
deductum non solum aliisclareat, sed tibi salubrius  
elucescat.[Page 393]

n. 95

Responsiva.

Sine tituli praefiguratione notabili pagina quaedam  
conspicua Roccana nuper illuxit, quae petrosae Roccae  
viros et fortes et agiles per augmenta rationis vulgariter  
attribuens, a suaे proprietatis archivo injuste exclusit  
altitudinis metas, cuius et puncta velut ad centrum tendentia,  
quae quanto viciniora sunt aetheri, tanto subtilioris  
aeris deputata suffragio, ut effectus causae non  
discrepet, viros subtilitatem patiuntur suscepturos. Si  
rationem considerasset increpantibus objectio, non invenisset  
quod in Rocca posset arguere nec in suprema dampnare,  
de cuius corpore membrum explicitum de dictaminis  
operibus quibus me verbotenus dixistis affluere,  
artis efficaciter excusasset inopia. Parvitas tamen ingenii  
quod, si quando commonitum vel peregrinis exemplis  
inductum aliquid de cruda massa temptet educere,  
curis domesticis impeditur, efficacius quaeso coram vobis  
alleget.

n. 96

Epistola missa magistro N. ut debeat amico artem dictaminis  
revelare.

Surrexisti, frater, alter Nicholaus confessor in curia,  
ut sicut illum [praecipuum] miraculis sancta narrat Ecclesia,  
sic te fateantur et recitent principem curiales.

Hujusmodi suave oleum tumba distillat; cum dulciloquio  
sermonis praesimaliter apud nos famosus existis. Exurge,  
frater, ne lateas, resera claustrum spiritualis scientiae  
quum [apud] lectores veteres vivescat memoria et modernos  
juvenes veneranda quadam senectute venustet.

n. 97

Responsiva.

Nuper dum linguae meae gladium de vagina silentii ubi  
nendum immiserat, sed etiam fabricarat oblivio, ad certamen  
dictaminis quaedam causa necessitatis excuteret,  
inventus est tam solida rubigine coopertus, tantisque  
tineae morsibus ulceratus quod nisi ad extractionem ejus  
limae vestrae laboret asperitas et remigio gratiose nostrae  
ratis officia subsequantur, ad palestram dictaminis  
jam reperitur inutilis, dum turbata jam cuspide atque  
impedimentis quodammodo carceralibus impedita dubitatione  
sub obscura nec hostili timeatur incuria nec cautela  
tenentibus promittatur. Praesentem itaque gladium  
et informem de vestri gratia postulatum benigne  
quaeso suscipite, ipsum ex praedictis causis inutilem  
magisterii vestri providentia reformantes. Interim si placet  
de vestris nobis aliquem commendate quem ante  
de novo tunderit favorabilis industria, ut praesidio ejus  
munitus inveniar, quoisque meus fultus et fervidus redeat  
qualis in proprio debeat de magistri reformatione  
experiri.

n. 98

Sedentibus super aquas amaritudinis, et in salicibus  
organa suspendentibus, Neapolitani studii doctoribus universis,[Page 395]

magister Petrus solamen Sancti Spiritus, et illam  
quae omnem sensum exsuperat, pacem Domini nostri  
Jesu Christi. De seculo nequam et valle miseriae, ad scholas  
florentis patriae, ubi garrulitatis improbae nullus  
auditur tumultus, illius vocatione, cuius imperium in  
coelo et in terra et in omnibus extenditur creaturis,  
grammaticorum exiimus consocius vester et confrater,  
magister G. noviter evocatus, ab oculis nostris pertransiit  
velut umbra, imo evanuit. Ad cuius transitum  
studii Parthenopensis obscuratus est sol, et luna eversa  
est in eclipsin; nam ars grammaticae quae lunae vocabulo  
designatur, privata decoris radiis sedet in tenebris,  
et non habet unde possit suum recreare dolorem, duobus  
maritis tam modico tempore viduata. Nondum praecedentis  
doloris sanata sunt vulnera, et sic calamitati calamitas  
et tempestas adjicitur tempestati, dolor doloribus  
et vulneribus vulnera inferuntur. Mirum non modicum;  
hic est ordo praeposterus et turbatus, quia naturaliter  
magistrum discipulus, hic autem magister est discipulum  
subsecutus; et hoc ideo quia mortis irregularitas de suo  
more perversa pervertit ordinem, quae praeponenda postponit  
e contrario postponenda. Proh dolor! vitis frondosa  
subito aruit, cuius fructus exuberavit ad plenum.  
Nam in multitudine filiorum quos genuit, indefessus ille  
uterus magistralis intumuit, praevaluit, et tanquam cedrus  
Libani superexcrevit, cui non sunt adequatae virgulæ  
de deserto. Ipse quidem fuit alter Ioseph, cui omnes  
inviderunt parentes, quem saeva bestia devoravit, videlicet  
mors, quae per aphaeresin cunctis aufert mortalibus  
caput, a membris dividit et recidit. In cuius decisione  
vos qui floretis in cathedris, tanquam multorum  
capita plena oculis, retro respicite, et ante diligenter[Page 396]

attendite quantum tenuis et fragilis gloria secularis, quae  
est quidam vapor ad modicum durans, velut fenum  
agri, quod mane floret et vespere decidit et arescit. Ad  
tutelam igitur, per illam syncopam a qua nullus grammaticus  
excusatur, statum et transitum reciprocantes in  
vobis, unum efficax per locum a simili in vobis colligite  
argumentum, similiter illud iter currere, quod vester  
socius percurrit, cum de similibus idem judicium habeatur.  
Testante propheta, subito defecerunt et perierunt  
velut sompnium exurgentis.

n. 99

Audivimus condolentes quod amicus noster P. filius  
vester et juvenis clarae indolis, moribus et scientia diligendus,  
pro dolor! naturae debitum solvit. Sed o dura et  
dira nati conditio et obliqui ordinis corruptela! quem

sperabat pater post se dimittere successorem, cui quicquid poterat in renovatione domorum, in ampliandis praediis et rebus opulentioribus de patris officio praeparabat, vidit ordine mutato mortuum, et quod praestolabatur ab eo, praebuit heu! genito officium lugubre sepulturae.[Page 397]

Ha, ha, Deus omnipotens! ut qui in rebus humanis tantam patris ad filium emanare gratiam naturae ministerio voluisti, quod aemula patrum praematura privatio filiorum inexorabilis mortis gladio paternam animam pertransiret, aut ad succedendum patribus erga filios ordine recto fata procederent aut rerum conditio patri filium non dedisset, ut filialis amoris nescius tantam in decessu filii doloris vehementiam non sentiret. Nam tolerabilius videretur non habuisse filium quam habitum amisisse. Excessus tamen primi parentis meruit ut successiva posteritas tam sinistris eventibus angeretur et ex transgressu illius totius generis humani successio defectus naturae patiatur et ad ejus solutionem debiti nulla differentia sit aetatis. Hoc autem magis est in juvete decedente deflendum quod non superest in ejus memoria filius qui dolorem avi utcumque leniret et patris ymaginem praesentaret, ut haec vobis anxietatem renoverent et ab oculis vestris lacrymas non abstergant. Verumtamen si prudentiam ejus et probitatem quas sibi natura contulerat meditemur, sic ad perfectum virum in aetate delicata profecerat ut maturum senem moribus et scientia repraesentaret in iuvene, ac ejus anima sic erat placida coram Deo ut eum ad se maturius vocare decreverit. Adhibitam circa ejus profectum diligentiam vestram et desiderium complevisset, quum videritis eum profecisse scientia et aetate ut ad summum in eo natura deducta, dum congesisset simul in eo quicquam foret per longiora tempora conlatura, superiora respiciens ad nutum vocantis Domini pararetur. Perveniens igitur filius vester ad decreti temporis metam, migravit ad Dominum, integritate famae ac bonorum operum prole in sui memoria reservatis; abiit et processit invidiosum sui favorem nominis[Page 398]

post fata relinquens omnibus qui noverunt eum, praefinito tempore secuturis ut optent simile nomen et publici oris testimonium post eorum obitum obtinere. Vobis igitur, bone pater, cui justa deesse non potest in tam boni filii amissione turbatio, providere convenient et pensare ne continuo parendo dolori modum exceedere vos contingat, quia Dominus dedit et abstulit ut ejus nomen debeat benedici et nemo possit suo nutui contraire. Providete tamen vobis superstitem de renibus vestris expectatam sobolem subrogare, cum de novi thori conjugio spes optatae felicitatis accedat, dummodo viri prudentis animus doloris instanciae qui muliebrem frangit animum, non virilem, per assuetudinem non succumbat. Nos autem qui vos diligimus et in adversitatibus vestris aequa compatimur, prudentiam vestram multorum exemplo conspicuam praesumimus ex idemplitate dilectionis habitae commonere, quatenus condictionis humanae tenore perspecto ac ioci et officii vestri qualitate pensata, utriusque salutem hominis procuretis ut post effusos filialis funeris gemitus et paterni pectoris consummata suspiria, in vobis ipsis spem naturae, virtutis et prudentiae colligatis. Quare si de filio vestro, sicut placuit Domino, ita factum est, nec primus estis nec ultimus patrum qui talia pertulerunt; nec nomen patris per Dei gratiam amisistis quin plures gremii vestri futura mater in proximo filiorum conspectu patri assistat, ut incolumitati vestrae ac vestrorum potissime provisuri ad debitae consolationis remedium in Domino consurgatis; ostensuri caeteris per exemplum qualiter a prudenti viro, totius generis et patriae speculo, in similibus ad debita solatia doceantur. Deus autem consolationis animum vestrum de sua clementia plenarie consoletur.[Page 399]

instanciam creditorum, quarum quaelibet ad confractiōnem  
meam per se sola sufficeret, etsi contra me junctura  
se triplici non unirent. Instat enim a tergo exactor assiduus  
repetens mutuum quod retroacto tempore deficientibus  
expensis curiae contrahere sum coactus, cui dum  
satisfacere nequeo blandiri compellor. Angit praeterea  
durus et domesticus creditor individuus naturae comes,  
cui deesse non possum nec audeo suum denegare tributum.  
Hiis igitur crucibus trahor quarum primae utinam per  
principem excellentioris rei remedio consulatur, qui duas  
potest de facilis dum praecipiat relevare. Sed qualiter ego  
canus et emeritus in domo domini de cujus gratia spero  
quotidie recipere potiora, impudens panis petitor coram  
suis aspectibus advenirem. Ista potius ore alieno tractentur.  
Si vobis est igitur, bone magister, animus, si superioris  
honor et memoria magistri meique cura vos inde  
sollicitant, si conditionem meam, immunitatem manuum  
et quicquid contra me agitur non dissimulat favor vester,  
id quod necessitatē et instantiae creditorū expeditat  
quaeso apud dominum procuretis, cum impatiens morae  
sit famelicus hospes et exactor intendat equos et supellecilem [Page 400]

violenter auferre; vel saltem sciat haec dominus,  
quia benignus est, ut inter has afflictiones me sic  
vexari diutius non permittat.

n. 101

Petrus de Vinea tali. Utinam principis manibus tunc  
aurum contempnere contulerit fortunae fastigium! Adeo  
nobis esset in remittendo munere... quanto in rescribendo  
amici se perhibet dextera liberalem. Verumtamen  
doleo quod vobis ad praesens per me infructuose  
rescribitur, dum prope connivet ita quod a malo bonum  
officiale in talibus non discernit, et propter ingentis  
necessitatis instantiam per quam aurum ab hominibus  
subtiliter extorquetur, apud principem supplicantis lingua  
cujuslibet conticescit. Et ideo mirum est quod in  
necessitatibus legem et rationes etiam [sine] vicio mendicatis.

n. 102

Inundationes honoris dubium finem habentis jam, sicut  
sperabam, evasus, portum quietis gavisus intrabam. Sed  
dum inter quietem et fluctus in ipso stagno portus procellis  
diutius fatigatus, spe anchorae jam securus campum [Page 401]

[credebam] laboribus erepsisse, non Auster nec mitis  
Zephyrus, sed immites Eurus et Boreas uno decursu valida  
auctoritate Cori qui una missus est, me sine prudentia ad  
ipsam dentosam Caribdim inter cautes et maria reportarunt.  
Et est mirum quod quum idem decursus ad suum  
locum recurrens vix ad pristinum, locum fluctuantis officii  
susurraverit se ducturum, se mihi ad mei dispendium  
plus debito immutat, et cautes pro piscibus, rupes pro  
liquore, procellas pro verno et pro consolatione labores  
in lucro, escam me circumlucrante, ministravit. Eheu,  
bone, commutationem non dexteram, sed sinistram! Laboro  
invitus servitio ingrato et quaestus Achillis totus in  
totum usum Agamemnonis et nunc Cesaris est elapsus.  
Opus est mihi super consilio demoranti cui scilicet quia  
vanis opinionibus non inflabit amicum. Terram vero  
dices mole exercitus obruendam, classibus maria, coelum  
sagittis, equestribus campestria, rerum naturis nequaquam  
potentiae vires sufficere non adiungens. Si officia  
et labiles honores maris acquavi fluctibus, rudem corrige  
praesumptorem. [Page 402]

n. 103

Hic incipiunt ritimi Magistri Petri de Vineis.  
Vehementi nimium commotus dolore,  
Sermonem aggredior furibundi more,  
Et quosdam redarguam in meo furore,  
Nullum mordens odio vel palpans amore.  
In praelatis igitur primo dicens figo,  
Quorum vita subditis mortis est origo  
Et malorum omnium corredit rubigo  
Per quam grex inficitur, dum serpit serpigo  
Est abhominabilis praelatorum vita,

Quibus est cor felleum linguaque mellita,  
Dulce canit fistula eorum et vita (sic)  
Propinan idromeli, miscent aconita.[Page 403]

Fluxum in consiliis agunt et non fructum.  
Vident patrimonium Christi jam destructum;  
Et plorat Ecclesia nec dimittit luctum  
Frequentans suspirium ab ymo deductum.  
Vita sive moribus si quis est insignis,  
Caret beneficio quod praestant indignis,  
Cognatis, et filiis suisque privignis  
In quibus luxuria pater ardet ignis.  
Fur ut gregem rapiat et perdat et mactet  
Et praelatus praeparat non ut eum lactet,  
Set ut pravis usibus lac et lanam tractet,  
Cum spem non in Domino sed in nummis jactet.  
Praelato pecuniae ostendas acervum  
Si vis eum humilem, tibi non protervum,  
Dum sectant cum Simone Helisei servum  
Relaxant justiciam vel dirrumpunt nervum.  
Non splendet humilitas collis praelatorum  
Sed superbe satagunt non tantum minorum  
Sibi flecti genua sed superiorum,  
Cum Deus humiliet colla superborum.  
Praefecit Ecclesiae Christus piscatorem,  
Ut haberet humilem per saecla pastorem.  
Nunc vero non eligunt Petro successorem,  
Constantino similem sed quaerunt rectorem.[Page 404]

Bella miscent pariter et seductiones  
Inter plebem, milites, reges et barones,  
Unde fiunt hodie tot occasiones  
Quod fere se perimunt omnes nationes.  
Regnum regnum destruit et gens perdit gentem,  
Dives mactat pauperem et pauper potentem,  
Pater tradit filium, et ipse parentem  
Nec fratrem invenies fratrem diligenter.  
Partes mundi quatuor nunc guerra lacescit  
Nec mare nec flumina nec terra quiescit.  
Omnis homo fulminat et arma capescit  
Et pestis discordia tota die crescit.  
Totus est in caedibus orbis involutus  
Et hinc inde gladius versatur acutus.  
Est vassallus domini cruento pollitus  
Nec hospes ab hospite potest esse tutus.  
A praelatis omnia haec ortum traxerunt;  
Sed ipsos pericula non praetermisserunt;  
Nam navali praelio quidam perierunt,  
Et quidam in carcere obtrusi fuerunt.  
Credo quod Gregorius qui dictus est nonus  
Fuit apostolicus vir, sanctus et bonus,  
Sed per mundi climata strepit ejus sonus  
Quod ad guerras fuerat semper nimis pronus.  
Hic de suis finibus coegit exire  
Antiquam concordiam et fecit abire  
Ultra mundi limites, nec potest quis scire  
Ubi nunc permaneat vel saltem audire.[Page 405]

Vir sanctus sic fecerat. Nam Praedicatores,  
Quos deberem dicere prevaricatores,  
Secum semper habuit et fratres Minores  
Qui suum perverterant sensum atque mores.  
Si papa non crederet istos detractores  
Amicos discordiae et seminatores,  
Imperator hodie inter amatores  
Fuisset Ecclesiae atque defensores.  
Isti si pontificum non sint electores,  
Statim diligentium sunt reprehensores  
Et electos reprobant, quamvis sanctiores  
Ipsis sint et litteris eminentiores  
Advocati, medici et procuratores,  
Tutores et iudices sunt et curatores,  
Voluntatis ultimae sunt ordinatores,  
Fidem commissarii et executores.  
Cunctorum contractuum sunt mediatores,

Defensores criminum et palliatores;  
Si dentur enxennia, sunt adulatores;  
Si cessant servicia, sunt accusatores  
Ergo mimmi merito vel joculatores  
Dici possunt seculi vel baratatores.  
Aliorum ordinum fiunt contemptores,  
Nam se credunt aliis excellentiores.  
Per fora, per nundinas atque per plateas  
Discurrunt, per cameras nec vitant coreas,  
Et si fiunt nuptiae mox vadunt ad eas:  
Quod non credo doceat Baruch vel Micheas.[Page 406]

Cumque per provincias sunt inquisitores,  
Malos beneficant, dampnant meliores,  
Et qui cibos praeparant eis latiores  
Nunc inter ceteros [sunt] laude digniores.  
Nec solum ecclesias gravant haec dicendo  
Sed parochialia jura minuendo,  
Propter quod sunt clerici facti non solvendo  
Ista privilegia sunt eis indulta  
A papa Gregorio, quibus est suffulta  
Eorum praesumptio superba et stulta,  
Et parochialia jura sunt sepulta.  
Mutatur Ecclesia a statu priore  
Per haec privilegia in deteriore  
Plorant suo canones carere vigore,  
Plorant suo clericci privari honore.  
Eis dantur omnia, nec deest revera  
Quod mensura, numerus capit [et] statera;  
Seculares clericci sunt quasi chimera.  
Sic respondet hospiti suo mus in pera.  
Crevit inter ordines fratrum zizania  
Qua Rachel inficitur, fatigatur Lya;  
Propter ipsos deserunt omnes loca pia  
Et dimittunt pauperos jejunos in via.[Page 407]

Cumque poenitentiam confessis injungunt  
Quos deberent pungere adulantes ungunt,  
Quos deberunt ungere increpantes pungunt;  
Et cum possunt aliquid ab eis emungunt.  
Sed si poenitentia sit cuique data  
A suo presbitero quod reddat ablata,  
Fratres poenitentiam laxant et peccata,  
Dummodo pecunia sit eis oblata.  
Nam sibi restitui faciunt usuras  
Et id quod adquiritur per falsas mensuras.  
Inde libros faciunt et magnas structuras,  
Sed propter hoc animae non sanant scissuras.  
Erat nostris partibus vir exercens fenus,  
Vir nequam, vir Bebial, vir nimus obscurus,  
Monetam falsificans summi regis, plenus  
Omni labe, respuens femininum genus.  
Hic semper discordias inter fratres sevit  
Dei et Ecclesiae jussa semper sprevit,  
Furtis, homicidiis et rapinis haesit  
Et domum illico thesauro replevit.  
Hic mittebat fratribus hora matutina  
Ova, pisces, caseos meliora vina,  
Pastillos et artocreas; ex ejus rapina  
Erat fratrum fertilis frequenter coquina.  
Hunc cum de vicinia quidam accusaret  
Et coram episcopo causam ventilaret,  
Libellimque curiae suum praesentaret  
Et causae notarius acta compilaret;[Page 408]

Ecce fratres veniunt capis elevatis,  
Parte fere media brachiis nudatis,  
Extractis capucis, oculis elevatis,  
Inceperunt dicere vultibus iratis:  
«Cur est accusatio contra justum mota  
Cujus est a crimine vita munda tota?  
Ejus est confessio nobis bene nota,  
Per quam conscientia est a labe lota.»  
Fratrum testimonio fuit absolutus  
Ille tot sceleribus tantisque pollutus,

Qui non tantum pristinam vitam est sequutus  
Sed fuit maioribus culpis involutus.  
Inde fuit postmodum facta cantilena  
Bonum testimonium bona facit coena,  
Fecundique calices et dives crumena:  
Ista fratres diligunt et spernunt terrena.  
Olim a principio vestitu contenti  
Nunc questores olivi, vini et frumenti,  
Non sunt ad pecuniam, congregandam lenti.  
Si ordo hujus [modi] non esset egressus,  
Mundus tot pericula non esset perpessus.  
Antequam prosequerentur corum excessus  
Scio quod millesies (?) pius essem fessus.  
Sed sicut de vicis recitavi quaedam  
Ita de virtutibus nunc sermonem edam;  
Et ipsos offendere nullomodo credam,  
Sed per viam medium ut decet incedam.[Page 409]

Sunt ab eis mortui plures suscitati;  
Caeci, surdi, debiles, infirmi sanati;  
Fugatique daemones, leprosi mundati  
Et aperti carceres, nautae liberati.  
Et omnes audivimus aquam factam vinum  
Per Iohannem scilicet et per Iacobinum,  
Quod gustatum fuerat per Architrichlinum:  
Sic fecisse legimus beatum Martinum.  
Loquebatur Dominus eis cum volebant  
Et ad eos angeli boni descendebant,  
Et mali similiter eis apparebant,  
Qui suis per omnia mandatis favebant.  
His nunquam apostoli fecerunt maiora,  
Sed nec his similia; nam quacumque hora  
Invocabant Dominum fratres, sine mora  
Fiebant miracula laude digniora.  
Visiones aliquas per raptum viderunt,  
Sed non licet homini loqui quae fuerunt;  
De futuris etiam plura praedixerunt,  
Quae sicut praedixerant ita contigerunt.  
Signa quidem plurima sunt ab eis facta,  
Quae fuissent omnia, hoc scripto redacta,  
Sed cum vellem scribere, penna fuit facta  
Et bissexti numerus crevit in opaca.  
Vos precor hoc credere qui signa vidistis,  
Nam et ego crederem; sed sum valde tristis.[Page 410]

Haec namque miracula quae nunc audivistis  
Versa sunt in nichilum in rebus istis.  
Partem quoque maximam substraxerunt fures,  
Deinde residuum comedenter mures,  
Et si scire forsitan veritatem cures,  
Testes tibi dabimus qui viderunt plures.  
Qui non habent biblias sibi praeparatas  
Sic fantur episcopis: « Multum diffamat  
Habetis dioceses et coinquinatas;  
Nobis constat hereses ibi seminatas.  
Non utuntur clerici vestri vestimentis,  
Sed tenent focarias, quod clamor est gentis  
Quod ex gradientibus patet argumentis.  
Aut haec inquisitio nobis committetur  
Aut in vos infamia tota convertetur.»  
Annuntiavit episcopi, nam quisque veretur,  
Ni faveret fratribus, quod accusaretur.  
Inquirentes igitur primo clericorum.  
De vita et moribus, post haec laycorum,  
Scribunt fratres divitum peccata reorum  
Et non curant scribere culpas egenorum.  
Dehinc reum convocant et turba reiecta  
Dicunt: « Ista crimina sunt tibi obiecta  
Pone libras quindecim in nostra collecta  
Et tua flagitia non erunt detecta.»[Page 411]

Reus dat denarios, fratres scriptum reddunt  
Sic infames plurimi per nummos evadunt;  
Qui vero pecuniam quam petunt non tradunt  
Simul in infamiam et in poenam cadunt.

Post haec ad episcopos bursis sic repletis  
Revertentes inquiunt: «Gaudere debetis,  
Nam plebem catholicam et bonam habetis  
Credunt evangelii et sanctis prophetis.»  
Adulantes viciis fiunt canes muti,  
Dum timent pericula imminere tuti,  
Vel ubi sunt aliquod munus assecuti  
His demptis nec vicio parcunt nec virtuti.  
Et hoc est quod dixerat verbum veritatis  
Occisores corporum non pertimeatis.  
Sic fratres avidius non timent (sic) armatis  
Qui ipsos dilapidant magis caseatis.  
Sic se gerunt maxime in illis contratis  
Quae carent hereticae [labe] pravitatis,  
Sed partes Italiae non inquirunt satis  
Ubi vulpes latitant caudis intricatis.  
Hiis triti verberibus et afflicti poenis  
Quas ferunt in prandiis fratres et in renis,  
Ut saeva verbera pellant ab egenis  
Praedicatum nequeunt ire Sarracenis.  
Dum parcunt Italiae aut timent de morte  
Aut in terris aliis pinguiores forte[Page 412]

Caseatas comedunt, et post vinum forte  
Disputant de Pontio, Platone vel sorte.  
Inquirunt ut populis inducant tremorem  
Magis quam ut heresis expellant errorem,  
Quia multi tribuunt eis per timorem  
Qui nil darent penitus ipsis ob amorem.  
Dei et Ecclesiae simulantes zelum  
Non verentur ponere os suum in coelum,  
Et secum ypocrisy deportantes velum  
Excolantes culicem glutint camelum.  
Ingerunt consiliis se non invitati,  
Quidquid agant layci, quidquid litterati  
Et maiores clerici seu magni praelati  
Spernunt et vituperant nisi sint vocati.  
Hi portantes gladium more furibundi  
Periura quae nesciunt et summam rei pro mundi (sic)  
Credunt se confundere nec posse confundi,  
Omnes quamvis fuerint in jure profundi.  
Hanc de poenitentia dictus R. notavit  
Ubi de contractibus et causis tractavit,  
Dum aperte minima totum nominavit  
Et nomen tuum simul usurpavit.[Page 413]

Per ipsam causidici sunt fratres effecti:  
Ipsam habent secum mensae, viae, lecti,  
Ut videri valeant in jure proiecti  
Nec curant de bibliis quas solent amplecti.  
Enervant et destruunt juris aequitatem.  
Nec secuntur canonum meram veritatem;  
Plenam esse clavibus negant potestatem  
Quod quidem hereticam sapit pravitatem  
De occultis iudicant ut de manifestis,  
Et quem nec confessio convincit nec testis,  
Sed ut evidentia de peccatis gestis  
Damnant decretalibus spretis et digestis.  
Quos volunt absolvere absolvunt vel ligant,  
Quos volunt alleviant, quos volunt fatigant;  
Si qui eos forsitan secreto castigant,  
Tempus quaerunt talibus ut poenam infligant.  
Omnis homo gaudeat! tot papas videmus!  
Non ergo de curia romana curemus;  
Nam cuncta cum fratribus haec expediemus  
Dummodo pecuniam quam petunt portemus.  
Hos praelati pessimi qui fama laborant,  
Quorum multa crimina famam decolorant,  
Ne ipsos redarguant, pascunt et honorant.  
Utque per episcopos fratres venerantur,  
Sic per ipsos crimina sua palliantur.  
Dum sese funiculo tali foederantur  
Hiis crescit praesumptio, illi depravantur.  
Nam si de his quispiam esset accusatus,  
Fratres clamant: sanctior non vivit praelatus.

Quivis simoniacus notus et probatus?  
 Sic prelatus remanent et sicut reatum  
 Et cum more solito faciunt sermonem  
 Vident in cathedra dare lectionem;  
 Hoc ad suam faciunt hostentacionem  
 Sed non audientum ad instructionem.  
 Horum non invenies quemquam verbis parcum  
 Et pudet inducere Matheum et Marchum  
 Sed per Aristotilem et per Aristarchum.  
 Cum deberent populum ad bonum hortari,  
 Quaerunt cur oportuit sphaeram rotundari  
 Et querunt de circulo si posset quadrari,  
 Sol quot debet gradibus in signo morari.  
 Trigonos quadrangulis si quis alterari,  
 Unde possunt gradiens aestate arari;  
 De his et similibus non deberent fari  
 Cum non possit populus his edificari.  
 Ecce palam praedicant quod non est peccatum  
 Retinere decimas, quod est reprobatum  
 Per romanam curiam et legis mandatum  
 Augustini etiam decreto firmatum.  
 Verum de concordia quae iam exulavit,  
 Quidam fide dignorum sic mihi narravit  
 Qui Cisterciencium ordinem intravit  
 Ipsorumque manibus se recommendavit.  
 Fratres eam diligunt et habent honori.  
 Nec ipsam dimitterent si deberent mori; [Page 415]

Sed preces cotidie fundunt Creatori  
 Quod ipsos confoederet ipsius amori.  
 Monuerunt attamen ipsam ut rediret  
 Ad romanam curiam et cum eis iret,  
 Quae respondit flebilis quod numquam veniret  
 Quamdiu in curia dictos fratres sciret.  
 Hii fratres discordiam pacis inimicam  
 Cunctisque contrariam et hostem antiquam  
 Fovent, et concordiam fugant ut iniquam  
 Dum latenter liliis immiscent urticam.  
 «Deo et hominibus et maris et ventis  
 Toti mundo conqueror necnon elementis  
 De predictis fratribus qui suis figmentis  
 Me tollunt de medio universae gentis.  
 Sedari non poteris strepitus bellorum,  
 Ordo incassabitur fratrum predictorum,  
 Nam dixit veridicus sermo seniorum:  
 Pacem terris abstulit adventus eorum.  
 Per hos fratres omnium quies perturbatur,  
 Unionis vinculum per ipsos vastatur;  
 Libertas studentium sic eliminatur  
 Quod per privilegia nullus iam curatur.  
 Radius concordiae per hos eclipsatur  
 Et pacis stabilitas ruinam minatur  
 Omnisque securitas procul effugatur  
 Et vix quies modica aliquibus datur. [Page 416]

Sed si papam Dominus nobis talem daret  
 Eorum consilium qui non approbaret,  
 Et qui supercilium eorum calcaret,  
 Quin irem ad curiam nichil me tardaret.  
 Qui postquam silentium fratribus imponet,  
 Credo quod hanc gratiam Deus mihi donet  
 Quod rancorem pristinum uterque deponet  
 Atque meis precibus quilibet componet,  
 Imperator scilicet et papa futurus.  
 Recedet discordia et pax erit murus;  
 Omnis homo poterit dormire securus  
 A nullo calumpniam vel dampnum passurus.  
 Nam cum in capitibus pax erit firmata,  
 In membris per consequens erit reformata:  
 Mons, vallis, planicies quiescent et strata,  
 Domus, habitaculum et omnis contrata.  
 Imperator etenim semper fuit talis  
 Quod ejus justicia non pepercit malis,

Quamvis esset etiam suus commensalis  
Vel amicus quilibet magis specialis.  
Cui det longo tempore Christus imperare!  
Scit vos et Ecclesiae hostes superare  
Et scit cum imperio sese gubernare,  
Ut eum Ecclesia possit commendare.  
Ille qui dum Lazarum suscitaret flevit,  
Qui pro nobis triduo sepulcro quievit,  
Papam nobis suscitet sicut consuevit![Page 417]

Et fratrum consilio diu exultatam  
Revochet concordiam a nobis optatam;  
Ipsorum a curia turbam effrenatam  
Pellat ut custodiat pacem illibatam.  
Equus meus debilis et fessus anhelat;  
Campum non deficere, sed vires revelat  
Nec suarum virium parvitatem celat  
Timensque deficere, cursum, non protelat.

n. 104

Cum plurima tempora sint transcura quibus nemini  
fuerunt nostri cordis intima revelata, non potest a nobis  
celebrari silentium quod doloris et tristiae parit et  
peperit incrementum.  
Vix celare potest intima cordis amor  
et  
Occultare nequit sua lumina proximus ignis.  
Ignis enim dilectionis vestrae in meo pectore diutius occultatus  
laesione incendio suaderet infundi. Nam quanto  
magis tegitur, tanto vehementius diligentis animus cruciatur.  
\*/  
Quoque magis tegitur, tectus magis exuat ignis.[Page 418]

Cum enim oculi mei vestros quandam ocellos conspexerint  
et vestram faciem ad solis similitudinem rutilantem,  
confestim captus est animus intuentis et eximiae dilectionis  
vinculo catenatus.

Usibus et verbis illaqueatur amans.  
O dies laetissima, dies celebris et jocunda, cum auribus  
nostris angelicae vocis sonus intonuit, cum mirae claritatis  
oculus recto luinine nos respexit!  
Res optata satis gratior esse solet.  
O verba dulcissima, coloribus adornata rhetorices, quorum  
mens auditentis reficitur et corpus suavitate melliflua  
recreatur.

Plus recreant animum dulcia verba cibo.  
Decorant vos supercilia modico discrimin'e rationabiliter  
arguta, nec minus ornat frons ardua, tanti candoris et  
ruboris admixtione conspersa.  
Nix candore placet et rosa rubra micat.  
Statura pulcherrima, corporis pellit a se quodlibet vitium  
pravitatis, in quo nichil est usquequaque positum quod  
sibi non competit ad ornatum.  
Floribus ex variis nexa corona nitet.  
Si quis illam nudis capillis inspiceret, omnium pulcherrimam  
approbaret, cum licet videatur in forma hominis  
ymago, ymago tamen ascribitur deitatis.  
Nam splendore nitens cernitur esse dea.  
Vester oculus videntes illaqueat, vestra facies singulos[Page 419]

depraedatur, quia tot sibi reddit obnoxios quotquot  
fuerint intuentes.  
Praedatur facie virgo decora sua.  
Noli tamen, cunctarum dulcissima et pulchritudinis gloria,  
loquentis despicere blandimenta, cum humilem esse  
conveniat quem maior cumulus probitatis adornat.  
Quo melior fueris, mitior esse velis.  
Pro te dulcissima morior; clavo tuae dilectionis affigor.  
Respice miserum tui quidem amoris desiderio morientem.  
Flectitur iratus voce rogante Deus.  
Per vos diu passus sum vulnera, per vos cupio sentire  
fomenta. Manus quae dedit exitium, vulneris debet afferre  
levamen.  
Causa meae mortis quandam, nunc causa salutis.  
Vera utinam essent somnia de vobis singulis noctibus  
iterata, cum ymago vestra nobiscum maneat in lectulo

et pectori nostro multipliciter osculando.  
Cernitur in sompnis quod mens vigilando reliquit.  
Pectus constringitur meis brachiis, os nostrum vestris  
alligatur ocellis, et dum redditur nobis osculum, cinnamomi  
et balsami est protinus suavitate repletum.  
Virgineum guttur balsami mella gerit.  
Tunc meus animus in tanta constitutus dulcedine plurima  
vobis[cum] agit et patitur, et dilectionis suea vobis[Page 420]

pandit originem. Post adeptionem vestram se credit et  
iudicat imperantem.  
Luxuriant animi rebus nimiumque secundis  
Metitur vobiscum et ordinat quot et quibus temporibus  
ad vos accedat gratissimus, praecavens ne alicui forsan  
sit cognitum beneficium quod non suis meritis, sed divina  
miseratione se credit adeptum.  
Nil sine cautela doctior egit homo.  
Sed cum ab oculis sompnus excutitur, an hoc verum  
fuerit saepius per lectum quaeritur, et dum non invenit  
manus quam tenuerat, genas confestim laniat et deturpat.  
Non sine cum lacrimis grata reliquit amor.  
Recedit momentaneum gaudium perhennis tristitiae deserens  
incrementum, cum dolor ex novitate sit arduus et  
ex rei desiderio potius sit nocivus.  
Non bene laeta venit res peritura cito.  
Quapropter, pulchrarum pulcherrima, vobis est nostra  
littera nunc directa ut me licet immeritum vestrae dilectionis  
munere debeatis tacere gloriosum.  
Colligit et flores rustica saepe manus.  
Si enim pociar vestra dulcedine, nullo videbor postmodum  
indigere, cum expellat solus vester intuitus quicquid  
solet homini afferre iacturam.  
Continuo tenebras sol radiando fugit.  
Noli dilectionis sponsonem protrahere si me decreveris[Page 421]

adiuvare. Quare mihi magnum erit excidium, si res ulterius  
dilata fuerit per momentum.  
Quo magis affectat, plus cruciatur homo.  
Cum enim desideratur ab aliquo non poterit ab ejus  
oculo separari, et diurnum tempus reputat annum donec  
quod cupit fuerit adimpletum.  
Qui peramat paciens non valet esse morae.[Page 425]

n. 107  
Quaestionis arduae petita responsio, in quantum respondenti  
permittitur, enodatur. Grandis namque progressus  
materiae, infinitis terminandae limitibus, rancoris  
propinat indicia, et ex telae diffusae contextu, quae de  
praeconio summi Caesaris hostes caendentis orditur, ne  
quid ex continentibus obmittatur, manus scribentis  
tremescit et stupet. Quis enim posset amplio flamme praepotens  
tanti principis insignia promere, in cuius pectus  
confluent quicquid virtutes habent, quem nubes pluerunt  
justum, et super cum coeli desuper roraverunt? non  
Plato, non Tullius, non filii tenebrarum, qui ex ore sedentis  
in trono, in generatione sua prudentiores lucis  
filii nuncupantur. Hunc si quidem terra et pontus adorant,  
et aethera satis applaudunt, utpote qui mundo verus  
Imperator a divino provisus culmine, pacis amicus, charitatis  
patronus, juris conditor, justiciae conservator,  
potentiae filius, mundum perpetua relatione gubernat.  
Ille est de quo Ezechielis verba proclamant. «Aquila  
grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu,  
plena plumis, et varietate multiplici» Hic est de quo  
loquitur Ieremias: «Replebo te hominibus quasi botro,  
et super te celeuma cantabitur ». Talis ergo praesidio  
principis protectus mundus exultet. Talem namque totus  
orbis vocabat in dominum; talem requirebat justiciae[Page 426]

defensorem, qui in potentia strenuus, in strenuitate praeclarus,  
in claritate benignus, in benignitate sapiens, in  
sapientia providus, in providentia foret humanus. In eo  
denique insita forma boni, tanquam livore carens, climata  
ligat, et elementa coniungit, ut convenient flammis frigora,  
iungantur arida liquidis, planis associetur aspera,

et directis invia maritentur. Sub ejus namque temporibus  
destruuntur fomenta malitia, virtus securitatis inseritur:  
itaque gladii conflantur in vomeres, pacis foedere suffocante  
timorem, et ejus metus instinctu quicquid libertas  
neglit et licentia immoderata praesumit, suae victoriae  
censura castigat. O miranda divina clementia, fastum  
compescere prompta, perituro mundo de tam mundo  
principe tam consulte quam utiliter providisti, qui ex  
omni parte beatus, strenuus in toto, cujuslibet turbationis  
pacator justissimus, sine cura populi solus esse nesciret;  
quem supremi manus opificis formavit in hominem, ut  
tot rerum habenas flecteret, et cuncta sub juris ordine  
limitaret. O utinam divina provisio, per etheresim dierum  
nostrorum numerum resecans, Caesareae manui fulcimenta  
tribueres et annos Augusti regnantis augeres! O  
naturae felicitas, quanti privilegii praerogativa principem  
ditasti felicem, concedens aliis quod deficit in te ipsa.  
Hunc trames rationis antistitem, hunc exigebat justitia  
defensorem: qui congruam servans utrobique temperiem,  
conatus cupiditatis infringeret, et ejus morsus illicitos  
refrenaret. Cui iam virtutum incipiunt mysteria invidere:  
ea videlicet invidiae specie, quae non ardore livoris aemulantis  
destruit animum, sed in suavitatis odorem flatibus  
incitat charitatis. Vivat igitur, vivat sancti Friderici nomen  
in populo, succrescat in ipsum fervor devotionis a  
subditis, et fidei meritum mater ipsa fidelitas in exemplum  
subiectionis inflammet.[Page 427]

n. 108

Grave non ferat, si placet, dominatio vestra si ad vos  
cum istis litteris non accessi, quia stationis ingrata remotio,  
lutositatis calcata lubricitas et tenebrosa caligo  
noctis pluvialis, non expers stillaminis, apud vos caligantes  
oculos excusabunt...  
Vocatus ad curiam corde venio; pedes venire nequeo  
pro difficultate viarum, tum propter personae periculum,  
tum propter crucis molem, nec equum validum habeo  
in quo venire confidam, reverendo crucem ne si caderem  
crux infecta tingeretur ex luto et aliud cogerer  
(quod avertat Dominus) pallium immutare. Sufficit igitur  
signum insigne domini, signator gerendarum annulus  
litterarum. Sed si calix viae hujus a me transire non  
potest ut ad hoc mea praesentia requiratur, succinctus  
in altum nedum in lutum, sed in mare me projiciam,  
venturus ad Dominum super aquas. Et tu Petre conversus  
conforta alioquin fratres tuos... [et caetera.][Page 428]

n. 109

Ad vos, o curiales, meus sermo dirigitur, qui de processu  
meo, prout quilibet sompniat, ex nativi metus  
aculeo, non a virtutis indagine disceptatis et ab eventu  
diversa conjicitis argumenta; plerisque causantibus quod  
infirmante magistro... firmus esse non poterit status  
Salvi, quibusdam contrariam proponentibus rationem  
quod cum nunquam ei bene cessit per magistrum cuius  
sospitas fuit ei pro tempore satis molesta, obesse non  
poterit valetudo. Variatis igitur inter vos alternis collectationibus  
voluntatum, quia disceptatio vestra non venit  
ad calculum, et grammaticis vestris certantibus et per  
fallacias logicae sophisticis argumentationibus adinventis,  
restat aeterni judicis cuncta tenentis expectata provisio.  
Pendente tamen secundum allegata partium in  
rebus humanis censura judicii, ductus ego per ora plurium  
et abjectus pro voluntate loquentium pauca coram  
auditorio vestro in medio introducam. Sane qui fecit  
me Dominus est et quid de me facturus sit, sine me deliberet  
ipse. Adest etiam cohoperator ejus et vicarius  
constitutus in terris, Romanus princeps nominis et honoris,[Page 429]

cujus divina mens in manu Dei est et quo voluerit  
vertit illam. Ideoque nolite considerare sublimia loqui  
gloriantes, et jam per enigmata desinite speculum advertere  
futurorum. Nam opifex ille rerum qui ad ymaginem  
suam creavit hominem, plasma suum plasmator  
hominum non relinquit, et qui quosdam dum elevarentur

ejicit, elisos elicit ne labantur. Majestas quoque Caesarea  
coelesti docta consilio, cuius in hiis quae visibilia  
sunt assistit, prout fides nos edocet, imitatrix, decretum  
sibi aulicum puerum, circa eam jam ad canitem non  
longaevitatem dierum, sed quadam curarum et fluctuum  
inundatione deventum, a sua propitiacionis solio minime  
sequestrabit, ut praeter spem et opinionem quae  
sibi corda vacillantia blandiuntur, persecutatur in eo  
divinae praedestinationis arbitrium et consolationem afferat  
ei, priusquam in lucem ipsum matris Ecclesiae partus  
educeret, praestitutam; ut miretur intuens miserationum  
affluentiam supernarum et inter emergentium  
casuum onera de consecutiva pietate Domini non diffidat.  
Haec vobiscum patienter admissa revolvite, sic de  
alio judicantes ut statui vestro providere consulatis. Nam  
dubia sunt facta causarum et quid ventura dies pariat  
ignoratur, me istud in Domino veraciter asserente quod  
in humilitate mentium et recta conscientia singulorum  
non deseret Dominus in temptationibus rectos corde.[Page 430]

n. 110

Magistro P. de Vinea. Per litteras quas dudum magister  
Pepo ex parte vestra et vos per eas nostris desideriis  
assignavit, amicabiliter arguistis amicum quod diu et  
multum praeter morem amoris ad fratrem siluerim et  
tacuerim ad amicum. Nimirum, carissime, talis redargutio  
justa esset, si justior non defenderet exceptio redargutum.  
Numquid enim quem cotidie praesimaliter  
expectabam nunquam absentem per litteras et cujus occursum  
eram amplexui, sicut omni die me certa certum  
nova reddebant, per epistolam quae ad remotos  
habet officium, salutare debebam; tanquam quasi in dubium  
revocarem an in promptu votum vestrum esset ad  
curiam veniendi. Quid enim credere possit, juratis etiam  
hinc inde testibus, ut a tanti principis visione quae omnes  
exsuperat delicias Paradisi et a tantorum amicorum  
praesimalia incusantium moram vestram tamdiu continere  
possetis, ut omissis omnibus etiam quae praepedirent  
negotii, venire expectati tam anxie tardaretis? Tenuit  
etiam ad sribendum calatum nostrum et aliud, ut ex  
contracta videlicet scribendi negligentia longiori, haberetis  
in me justiorem querelae materiam venientes, quum  
vel daretur nobis in adventu vestro uberior disputandi[Page 431]

vel vobis daretur habundantius quod possetis ignoscere  
delinquenti. Sic erat, sed tandem dum ad moram adventus  
vestri ultra modum et expectationem meam contractam  
mirarer dubius et languerem, jam acuebam calatum  
ad sribendum ut vel venientem ad cursum impellerem  
vel desidem excitarem. Et ecce ad haec apparuit mihi  
vestra effigies quam misistis, praedictus magister litterarum  
vestrarum gerulus et perae. Quo praemiso in non  
dubiae stipulionis cautelam pro arra et exponente eo  
celerius vos e vestigio adventuros, quae mandaveram  
calamo linguae officio reservavi. Et sic vestris omnibus  
exinde ylaratis, cotidie oculi nostri suspiciebant in via  
qualiter, cum licet arram dederitis quam et nos nobis  
procuravimus retinendam, quod stipulati fueritis servassetis  
evidentia operis manifesta. Quod ultra doluimus  
quidem, quum tamdiu nos anxios ad vestram praesimaliam  
faceretis, sed profundius conturbamur quod ex hoc  
occisionem longioris absentiae intulisti. Nam dum apud  
dominum de bonorum suorum dispositionibus congruis  
provisio haberetur, latere sibi non potuit sub absentiae  
modio fides Petri quam inter suos in candelabro praesimaliae  
rutilantem multipliciter commendavit. Ait ergo:  
«Petre, amas me, rege oves meas,» et sic amator justitiae  
dominus super petram volens fundare justiciam, moderamina  
jurium regendorum in plebem suam Petro  
commisit, statuens vos justiciarum. Ad quod evidentius  
ostendendum ideo vos constituit dominus in faciem  
nunc praelati, sed praevericantis Ecclesiam, ut ubi dudum  
falsus Christi vicarius commissum sibi vicariatum  
depravans, nitens eisdem aliud quam cujus erant regimen  
clavibus aperire, multos fama, rebus et corpore

instruat et informet. Ad quod sciatis quod et ego  
et alii plures de carissimis vestris excusationes multas  
pro vobis coram domino protulerunt, sed apud eum  
magis praevaluit non ei incognita vestrae scientia probitatis,  
moderatio, fortitudo, etc., quae virum perfectum  
perficiunt et proficiunt dignitati. Restat igitur ut etsi tale  
onus vobis displiceat, quia nec assuevistis unquam nec  
aliquando affectastis, et gravet etiam inde vestros qui  
animum vestrum sciunt, tamen nichil sit aliud respondendum  
nisi: «Domine, tu scis quod amo te; si populo  
tuo oportunus sum, non recuso laborem. Fiat voluntas  
tua, etc. »

(Caetera desunt.)

n. 111

Ut transumptive loquar, ad secularium foedera nuptiarum  
tantus est virginis pudoris rubor, tanta deliberatur  
a parentibus cautela pueris ut eis contrahendi  
tractatus ignaris per interpositas personas et pronubas  
puellare connubium incipiat et tractetur. Ubi ergo ad spirituale  
matrimonium veniam, quod quanto majori praerogativa  
praepolle, tanto per excusationis necessitatem[Page 433]

et instanciam approbatur, honestius verecundia pueri  
geritur ut aliquis se non ingerat, sed rogetur, rogatus  
aufugiat et renuat invitatus, nec tanti ministerii dignitatem  
agredi audeat confidentia vel favore, quam ipsius  
christiani nominis professor et auctor, verus pontifex  
Jhesus Christus, inter se et Ecclesiam per passionis et  
crucis mysterium sociavit, ut pro tanti cura sacramenti  
se prius noluisse ingerere vel venire quam praecursores  
et nuntios sui praesagos adventus ad humanae cognitionis  
vinculum futurus homo qui fecerat hominem mirabiliter  
praemisisset. Unde non immerito me movet haec  
externa relatio quod Petrus in cuius petra fundatur  
imperialis Ecclesia cum augustalis animus roboratur in  
Coena cum discipulis, tale verbum potuit edixisse: quia  
dum me facerem eligi, faceretis subsequenter in vacante  
ecclesia promoveri. Qui si forte degens in saeculo verecundum  
ducerem venari nuptias vel pro foedere pueriae  
blandiri, turpe reor et indecens me spirituali matrimonio  
importunum et ambitiosum offerre, reatus in hoc  
nedum hominibus, quin Deo probabiliter displicere, qui  
conatus et ambitiones humanas eludit et quos praescivit  
hos eligit et praedestinat ad salutem. Fiat igitur non  
mea, sed sua voluntas, et quod de me sine me de sua  
praedestinatione constituit, ipse perficiat, ut quem per  
crucis assumptionem duxit ad ordines et sortis Ecclesiae  
voluit esse consortem, sponsae suae meritis et amplexibus  
clementer annexat. Quod cum ex Superioris gratia,  
eo inspirante cuius manus vertit et dirigit corda regum,  
et ex illustrium sibi assistentium industria personarum,  
debeat honestius procurari, per crucem et passionem  
quibus me Dominus ad Ecclesiae conjugium invitavit, ad  
quam permittente Domino me propensius animasti, instantissime[Page 434]

vos obtestor ut abjecto veteris proposito conscientiae,  
quod felicis memoriae ... magistri tempore  
potuistis aliquamdiu concepisse, affectione benigna  
conversi, consolationis adhibeatis remedium speratumque  
consilium ad promotionem honoris, quibus suscitari  
poterit a mortuis filius semivivus, de cuius gratitudine  
confidatis. Quum autem absque vitio blandientis applaudam  
et murmur linguae non annoter, non minus benefactori  
gratus quam obsequiosus efficiar et devotus.  
Lubrica fortunae non te premat alea; vivas  
Major in adversis, prosperitate minor;  
Tanto major eris, malis defende minores,  
In magno minimus, in dominante cliens.  
Ad tua sis pronus, ad proxima commoda supplex;  
Alterius plausu plaude, dolore dole.  
Virgo timet, teneris lacrimis exuberat. Usum  
Vomeris ignoti glebula prima timet.

